

**www.e-rara.ch**

**Constantia Rhenana, lacus Moesii olim, hodie Acronii et Potamici metropolis, sacra et profana**

**Bucelin, Gabriel**

**Francofurti ad Moenum, 1667**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-45040>

[S. 301 - 368].

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

alterum Salomonem agit, Præful incomparabilis, sapientia, auctoritate & in rebus gerendis dexteritate.

Gliscunt odia Constantienses inter & Augienses, cumque Episcopus hisce favere videretur, nec posse Mangoldo ex fratre nepoti contradicere, multa que ab Carolo IV. in præjudicium urbis impetrasset, quam antea bene affecti ad Episcopos cives erant, tam deinceps iisdem contrarii fuere.

A. C. 1370. Constantia tumultu civili, tantum non tota evertitur, in- *Tumulus*  
furgente denuo in Magistratus & nobiles plebe, & violenta manu Sena- *Constantia.*  
rum invadentibus, novemdecim Tribunis cum suis Tribubus; ita ut frustra primùm reluctati, Tribunorum præcipuo rebellionis Archistratego trucidato, cedere tamen, & ad mortem quæsitum sese abdere, emigrare denique quibuscumque poterant modis, urbe cogentur, quæ non quisque clam secum abstulerat, sive absconderat, omnibus in prædam furiosæ plebis, *Magna rerum*  
cedentibus. Duravit dies quinque metuenda seditio, donec nemo porro *turbatio.*  
qui libidini plebis obniteretur appareret, & ex hujus sententia Consules deligerentur & Senatores.

A. C. 1371. Iterum plaga cœlitus immissa, haud dissimilis ejus de qua *Cicadarum*  
supra, Cicadarum denuo infinita multitudo, agros, prata, vineas depascen- *multitudo.*  
tium, magna denuo annonæ caritate necessario consequente.

Iterum lumen insigne è novissimo conversarum fororum Ordine, in Valle S. Catharinæ prope Dieffenhofen se prodit B. Adelheides dicta de S. Gallo, DE Iparæ addicta, in laboribus à juventute sua, & quidem ut sub la- *B. Adelheid.*  
boribus penè deficiens, nunquam sacra sua exercitia prætermitteret; Divi- *conversa.*  
nis revelationibus illustrata, ut facile appareret, DEUM erga ipsam mirificè affici, & quod cum humilibus sermocinatio ejus.

A. C. 1372. Henricus Episcopus noster post diutinam cum civibus ur- *Lia composita*  
bis nostræ contentionem, pacem denique haud diu duraturam componit, cum quæsitæ atque impetrata ab Helvetij vicinis libertas, plebis nunc Urbis Dominæ animos, nimis quantum afficeret. Eodem anno Constantienses *Societ. Ensis.*  
adjunguntur Societati illi Equitum, qui ab ensibus nomen sibi vendicarunt, quos omni loco & tempore gestare solebant. conducti è civibus quatuor, qui reliquorum nomine, gladios continuo manu præferrent.

A. C. 1373. Exigit grandem ab Urbibus Imperij pecuniarum summam Carolus Imp. bello, ut agebat, gerendo, & recusantes ingenti comparato ex- *Carol. IV. exi-*  
ercitu cogere parat, ita ut denique nolentes volentes cogentur, Urbe no- *git pecunias.*  
stra Constantiensi quadraginta millia, Ulina 52000. Rottvilla 10000. Rüttlinga 15000. Lindovio sex millia, numerantibus & pendentibus.

A. C. 1374. Annus continuis imbribus infestus & exitiosus; flumina *Annus exi-*  
pleraque alyeos & ripas supergressa, quidquid verè obviam fuit abriperere, *ciosus.*

nonnullos etiam vicos pene integros, frequentia in campis armenta & pecora, non absque mortalium magna strage & nece; præcipuè mense Novembri, tafito malo invalescente.

- Terra motus, &c.* A. C. 1375. Nec meliora novi anni initia. exeunte enim Januario mense terra validè concussa est, hiaruntque plurimis locis in maximas speluncas montes, situm etiam rupes locis nonnullis mutavere: quæ ut in præsentia ingentem trepidationem omnibus generarunt, ita calamitatum, quæ brevi in has regiones migrarunt, haud dubie indicia extiterunt.
- Peregrinatio Sacra.* A. C. 1376. Diethelmus Schilter, nobilissima inter Constantienses familia, una cum Joanne de Bodmann peregrinationem ad sepulchrum Domini, & ad S. Catharinæ in Monte Sinay instituit, quam & postea accuratè descripsit. Angli & Galli Helvetiæ nostræ incubant hæreditatis prætextu, quæ Catharinæ Austriacæ Galliæ Thalassiarchæ Couslij Comitum conjugum deberetur, donec aliquoties confusi, & fame coacti, unde venerant revertentur. Henricus Episcopus noster Festum Dedicationis Ecclesiæ Uffnau-giensis, metu periculi ab navigatione lacus, incommodius tempus differt, & sacras Indulgentias conduplicat.
- Marquard Abb. Einsid.* A. C. 1377. Vitam mortalem exiit Marquardus Abbas & Princeps Einsidensis Bertholdi Baronis à Grünenberg filius, Waltheri frater XV. Cal. Novembr. in cujus locum suffectus est Petrus Baro de Wolhausen, ultimus suæ familiæ Præpositus S. Geroldi. Wenceslao Rege nihil quam Urbium privilegia & contrahere & imminuere satagente, confœderantur hoc anno 19. Imperij Urbes: Constantia, Memminga, Lindovium, Biberacum, Werlinga, Buchornium, S. Galli, Ravenspurgum, Wangena, Isna, Campidonū, Leütkirchium, Kauffbura, Ulma, Wila, Esslinga, Reutlinga, Rotvilla & Pfulendorffium, &c. moxque Confœderatorum fervor in Oppidum Duttlingense efferbuit, quod prima obsidionis die expugnatum, direptum & exustum fuit muris etiam solo æquatis.
- Augetur Confœderatio.* A. C. 1378. Jungunt sese fœderatis Urbibus, Nordlinga, Wimpfena, Dinckelspula, Halla, Rottenburgum ad Tubarum, Alena, Weissenburgum, Schweinfurtum. & non multo post etiam Ratispona, Augusta Vindelicorum, Norimberga, Basilea, Argentoratum, Moguntia & Francofurtum, durante confœderatione annos undecim, solis dein Septem Potamicis Urbibus fœdus continuantibus.
- Constant. contra Wirtemb.* Ipso anno Constantienses accita ope Urbium Uberlingæ, Ravenspurgi, Pfulenduri, Lindovij, S. Galli, Weila & Buchornij, contra Wirtembergium moventes, Castrum quoddam munitissimum, quartodecimo die obsidionis expugnant & evertunt.
- Ludi Equestr. Constantia.* A. C. 1379. Incertum admissine dentio in Urbem nostram Nobiles & postliminio revocati, an pars, quæ manum & fidem plebi dederat, in Urbe

tolerata; Hoc certo anno insigne Hastiludium & solemne Nobilitas nostra Constantiæ celebrat, rerum præ aliis satagentibus Henrico Schilter, Joanne Rauck à Winiden, Henrico de Thurn, Joanne Gaudenz, Henrico Goldast, Joane de Rieth, Volckero de Magelzhöfen, quatuor de Hof, tribus à Lindt, quatuor Blaareris, duobus Hertleris, duobus à Schellenberg aliisque; Mortuo Georgio ad Divi Galli Abbati, sufficitur Chuno à Stofflen Liber Baro.

A. C. 1380. Latificant Civitatem DEI Curiam cœlestem & terrestrem plures egregia vitæ integritate viri fœminæque diversorum in Diœcesi nostra Ordinum, & Vallis illa S. Catharinæ Rhenana nunquam non germinat, quod cœli terris invident, cujusmodi hoc tempore fuit Beata Idda cognomento Sultzerin soror conversa ibidem, singulariter à Numine electa. Quæ cum diutius torqueretur super vocatione sua, sincera simplicitate ardentes carbones utraque manu apprehendens. DEUM rogavit, siquidem loco esset qui ipsi placeret, ab illis nil pateretur. Inde nil damni illatum seu manibus sive vestibus observans, constans deinceps in fide mansit. DEO fidelissimè diebus ac noctibus servijt. quæ à morte tumulo inferenda insigni prodigio honorata est, ventorum & imbrium vi funalibus ad funus extinctis, cœlitus reaccensis, neque dein quidquam à vento & aquis passis. Ipsi conserviit in Cœnobio Richi de Schalcken, soror & ipsa conversa, ante Iddam defuncta, cui cum morituræ adesset Idda cœlestem hanc vocem audit: *O si viverent in Cœnobio omnes, uti hæc Richi vixit!* Sed & hæc aliam sororem juxta se servientem habuit Barbaram nomine, cujus tota vita in orationis studio & DEI servitio constitit. quæ supra hominis naturam abstinentiæ Virtute claruit, seque fame ac siti confecit.

A. C. 1381. Inquietæ Diœceseos nostræ res, per Helvetiam imprimis ubi exasperati Habsburgiorum Helvetiorumque animi illis hoc anno Solodurum nocturnis insidiis occupare tentantibus, multaque hostilia in Bernates audentibus, unde natum Kyburgense bellum, & semina quoque belli omnium atrocissimi Sempacensis.

A. C. 1382. Mortuo Henrico à Mittelberg Campidoni Abbati ac Principi succedit Fridericus ab Hirsdorff, contra quem cum Capitulares aliquot Pilegrinum à Nordholtz promotum vellent, multa inde enata jurgia & incommoda sunt, donec Pilegrinus denique de causa desperaret. Perunt in flammam majores erumpere motus Helvetici, multum deinceps & sanguinis & ignium daturi.

A. C. 1383. Decumbentem in arce Gottlieben desperatâ valetudine Henricum Episcopum nostrum, solatur sua præsentia Petrus Abbas Einsidensis, collega olim, & in Abbatia successor, & nonnulla pro Monasterio impetrat. Decessit eodem anno Henricus Klingovij Episcopali oppido,

in Feflo S. Cæcilie, indeque translatus & in Cathedrali Basilica feputus eſt. Inde diſſidium inter deligentes aliis Mangoldum Brandiſij Baronem Augiæ Abbatem Henrici nepotem, cæteris Nicolaum à Riſenburg nominantibus.

*Mangoldus  
Epiſcopus.*

A. C. 1384. Mangoldus Epiſcopus ſolemniter confirmatur ab Adolpho Archiepiſcopo Moguntino Naſſovio Comite, Metroſolitano ſuo 27. Januatij hujus anni; verum Nicolaus Romæ ſuum urgens negotium & cauſam à Papa confirmatur, & à civibus Mangoldo inſenſiſſimis ſummo plauſu, magna pompa excipitur, & ad Cathedralẽ Eccleſiam ſolemniter deducitur, Mangoldo Jus ſuum armis vindicare parante, qui tamen hoc ipſo anno 8. Cal. Novembr. dum militiam ſuam luſtraturus equum conſcendit, inde præcepeodem momento vitam finiit non ſine porrecti veneni ſuſpitione, in Augiã Divite tumultus.

*Repente moritur.*

*Fœdus Vrbi-  
um majus.*

A. C. 1385. Annus hic celebris fuit, magno Civitatum Rheni, Sueviæ & Franconiæ fœdere, in quibus etiam Conſtantia noſtra fuit, eſſi Helveticis ſeſe motibus necdum commiſceret. Nicolaus Epiſcopus æmuli inſidiis liber, ſplendide ſe habuit, Conviviis ſolemniſſimis ſeſe recreans, ita ut intra breve tempus 24. millia florenorum dilapidaret. Helvetij non præmonitis Archiducibus loca alia tentant, alia occupant.

*Conſtantienſ.  
Lindovium  
expugnat.*

A. C. 1386. Incertum, quibus injuriis irritati Conſtantienſes noſtri, in Lindoviennes movent, munitiſſimam quo natura urbem ſumma animorum & virium contentione fortiter oppugnantes, feliciffimè expugnant. civium tamen ſaluti conſulant ſuorumque aliquot. jurato in Nobiles familias odio in earumdem necem conjurantes, capitis quamprimum damnant. quod & Victores domum regreſſi faciunt, duobus civium ſimile quid in Buchornentes decernentibus & capite luentibus.

*Grande mira-  
culum.*

Contigit ſub hunc annum in templo Bernrain ſeſquihoram ab Urbe diſtante, puerum petulantioſum lignatum euntem Cruc fixi imagini per contemptum nares emuncturum, quo ſecurius, ut protervè dicebat, ipſum oſcularetur, illud nequiter tentare; moxque obligeſcente ad nares imaginis manu ac digitis, & fixis prodigioſe, captivum teneri, nulla inde vi abſtra- hendum, quam concurſu ad miraculum facto, ad preces ſolemnes populi ſolveretur. Verum iſte puer biennio poſt, cum denuo maledica peccaret

*Pœna peccati  
ſera.*

gravius lingua, hæc exciſa in exilium actus memoratur. Anniverſaria miraculi memoria deinceps ſolemni ex Urbe proceſſione, Inventæ Crucis Feſto celebrata. Ipſo anno Leopoldus Archidux magno Nobilium comi-

*Leopoldus  
Auſtr. occub.*

tatu, inſigni cum exercitu contra Helvetios properans, prope Sempacum IX. Julij memoranda clade proſtigatur. ibidem cum plerisque Nobilium tumultus.

A. C. 1387. Nicolaus Episcopus noster Baro de Risenburg à Barone de Thengen Tiguro Constantiam rediturus prope Glattfelden interceptus, in Höhen Hövven captivus trahitur donec promissis stare polliceretur, multa promittere vulgo inculatus, & nihil servare. Idem grandium debitorum malè conscius, spem concipiens Olmatensis Episcopatus adipiscendi, Constantiensem libere à se abdicat, Canonicis quamprimum, Burcardum Baronem ab Hövven, Cathedralem Præpositum in Cathedram Episcopalem evhentibus.

*Nicolaus Episc. moritur.*

*Episcopatum abdicat.*

A. C. 1388. Nicolaus ex-Episcopus, Olmatensem sive Olomucensem occupaturus Episcopatum, Marchionem quemdam Moraviæ eidem jam prælatum reperit: Burcardo interea novo Electo nostro, confirmationem Romæ coram urgente, nec quidquam efficiente, donec Nicolaus Præpositi munere se contentari sineret, Burcardo cum Roma reverteretur incredibili plausu Constantiæ recepto.

*Nicolaus utrobique honore excedit.*

*Hic Præpositus.*

A. C. 1389. Constantienses cum septem Confœderatarum urbium subsidio Lupolz castrum obsident atque expugnant, captivi inde abducti Joann Dapifer Waldpurgius, Hermannus Comes de Sulz, Diepoldus de Luterach, Egolphus de Schellenberg, Henricus Wolfgangus ab Erlibach, Conradus de Freyberg, Ulricus de Laubenberg, Eberhardus de Weiler, alique litro soluto vita donati sunt, castrum tamen incensum & dirutum. Ipso anno Constantia amplior facta & munitior est reddita, quod à vicinis Helvetiæ turbis nonnihil metueret. Laborant Constantienses plurimum cum Confœderatis, pro componendis Helvetiæ motibus, idque hoc anno impetrant, pactis septem annorum induciis.

*Lupolz expugnatur.*

*Constantia dilatatur.*

A. C. 1390. Floret inter tot tumultus Angelomontanum felicissimum Cænobium, ad quod certatim convolant lectissimæ Diœceseos nostræ Virgines, Angelicis Virginibus accenseri gestientes, & hoc ipso anno 24. insimul Religioso habitu induuntur. Magnam apud omnes laudem meretur Burcardus Episcopus noster, Deique honorem & Sanctorum magno zelo promovet. Moritur hoc anno, magno sui relicto desiderio Petrus Baro de Wolhausen Einsidlenis Abbas, Pacis præcipuus per Helvetiam auctor, cui Ludovicus ex Comitibus de Thierstein sufficitur.

*Monasterium Engelberg.*

*Ludovicus Abb Einsidl.*

A. C. 1391. Iterum binæ firmamenti nostræ Diœceseos stellæ memorandæ sunt: B. Machtildis de Wangen prænobili genere, ipsa Nobilior infanta animo ingenuitate, quæ in Monasterio Vallis S. Catharinæ prope Diesenhofen summa perfectionis fama exsplenduit, & Divinis revelationibus illustrari meruit, & Beata Lucia Schultheissin, sanctimonialis in Tôss, mortificationis suorum sensuum studiosissima, ita ut triginta totis annis per fenestram cellulæ suæ nec cælum neque hortum aut campos respiceret, sibi que valde rigida esset. Eam nimia sui dejectione laborantem cœlestis vox visionis

*B. Machtild. Monial.*

*B. Lucia Schultheissin.*

fionis beatificæ certam reddidit, & mirificè ejusdem desiderio accendit.

*Hercinia luminaria.*

A. C. 1392. Sed & Hercinia suis syderibus nunquam usque hodie destituta, Diœcesi nostræ, plurimum semper splendoris contulit, hoc anno S. Blasii Monasterium Abbatem Henricum ab Eschenz habuit, virum gloriosum & Polytropum, sub quo sacer ille cœtus plurimum floruit & splenduit. Nec minor gloria S. Trudperti, ubi sub hoc tempus Benedictus Liber Baro de Stauffen Dei cultum promovit.

*Libertatis species.*

A. C. 1393. Libertatis titulus apud Helvetios ubi primum invaluit, ejus semper desiderium in die invaluit. Ita hoc anno Abbacellenses aliorum exemplo, Domino & Principi suo Sangallensi obedientiam renunciarunt, contra quos Abbas Chuno Baro de Stofflen Constantiensium, urbiumque Potamitarum confœderatarum opem imploravit & meruit, modico tamen fructu, cum illi vicissim amicorum cæterorum auxilia impetrassent, & in proposito suo confirmati essent.

*Abbacellenses rebelles.*

*Bellum Wirtenberg.*

A. C. 1394. Conjurat latè Nobilitas, quos inter Constantienses nostri contra Wirtenbergium, quem insolentius agentem armis comprimere satagunt. Fœdus illud, incertum qua causa, dictum vulgo fuit. *der Schlegel Punt.*

*Burcardi Episcopi gesta.*

A. C. 1395. Burcardus Episcopus noster inter alia gloriosè & laudabiliter gesta, fundat sacellum SS. Petri & Pauli juxta Cathedralē Ecclesiam, propè S. Mauritii & Mausolæum S. Conradi Episc. idemque liberaliter dotat, ubi etiam à morte sepulturam eligit. Abbacellenses pergunt consilere libertati suæ, & Dominum suum pro viribus persequi, omnia susque de quæ suorum Pastorum monita & dehortamenta habentes.

*Abbacellenses.*

*B. Mechtildis de Stanz.*

A. C. 1396. Lucidissimum sydus Constantiæ nostræ totiusque Diœceseos Mechtildes de Stanz, maximis meritis ipsum sibi cœlum obligat miraculum patientiæ, devotionis; mortificationis & flagrantissimæ charitatis, quibus Numen ipsum mire sibi obstrinxit, & Cœlites demeruit. Decubuit aliquando annum totum & 13. insuper hebdomadas, neque ipsa neque aliis scientibus quo morbo laboraret, cum tamen jam jamque semper moritura videretur. Deprehendit causam lectioris notæ Medicus, & nimia amoris id fieri violentia affirmavit, sanguine omni ad cor recurrente, cujus istud capax non esset. Verum Deus, qui tanto opere ipsam inflammavit, ipsam quoque conservavit. Familiarem admodum sibi habuit Angelum Custodem suum, qui ipsam de nocte ad orationem excitaret. Ipsam prodigiis atque miraculis à morte honorasse Numen, MSSi. memorant.

*Mirè servatur.*

*Miraculis clares.*

A. C. 1397. Aliud eximii splendoris sydus Diœcesi tota Apostolico zelo vagatur, multumque passim proficit, & verbo & sanctioris Vitæ exemplo.

*B. Conradus Dominicanus.*

B. memoriæ Conradus de Grossis, Ordinis S. Dominici, patria Bruxellensis.

Ange-

Angelorum consortio familiari in mortali corpore honoratus, Divinis revelationibus asuefactus, aliisque miraculis à Numine commendatus, in Spiritu absorptus interque celebrandum & orandum sæpe extaticus, qui hoc anno eximiam stellam imo plures cum eadem è Diœcesi nostra abducens, in restaurato Alsatia Cœnobio Schönen-Steinbach collocavit: nimirum Beatam Claram Annam ab Hohenberg, Dieffenhofensis Cœnobii Virginem sacram, & ibidem primam instituit Priorissam, adductis ex eodem Cœnobio aliis quoque sanctioris vitæ sociis Adelheide de Hattingen, Elisabetha Goldtschmidin, Elisabetha Meringerin & Magdalena Bettungerin, quæ pro fundamento sancti illius Cœnobii deservirent.

*B. Clara Anna ab Hohenberg.*

*Sociæ ejusdem.*

A. C. 1398. Magni totius civitatis & Diœceseos luctu mortalibus eripitur Burcardus Episcopus noster Liber Baro ab Hövven, & in sacello supra dicto à se condito, magno cum honorè sepelitur. Mortuus in festo Hieronymi, cui ab Senatu Canonorum univeiso ipsa die S. Galli Fridericus eo nomine Secundus, Comes de Nellenburg, Conradi, & Elisabethæ Comitissæ de Montfort filius subrogatur, vir præstantissimus, incredibili plausu consalutatus & consecratus, verum verso post paucos dies gaudio in luctum, cum Fridericus nimia debitorum mole à Nicolao Risenburgio oneratum Episcopatum cerneret, habitisque summis Canonorum Collegio pro honore gratis, Pontificatum libere resignaret, veteremque locum inter Canonicos occuparet. Quare collectis denuo calculis Marquardus de Randeck Episcopus eligitur, Henrici & Claræ ab Homburg filius, Minden-  
*Burcardus Episc. obiit.*  
*Fridericus Episcopus.*  
*Marquardus Episc.*

A. C. 1299. Tristissimus hic annus Constantiæ nostræ horribili denuo longe lateque per eam grassante incendio, quod in suburbio Stadelhofensi exortum partem etiam Urbis corripuit & in cineres redegit, malo decem horas integras sæviente, excitato deinceps S. Jodoci templo, eo ipso loco, unde primum incendium proruperat.

*Constantia incendium.*

A. C. 1400. Ignavissimus Cæsarum, & turpissimus Principum Christianorum Wenceslaus Caroli IV. filius, sæpius prius commonitus, ridens consilia minasque solemnissimè exauctoratur, eidemque ex Consilio Rom. Pontificis Rupertus Comes Palat. Baviaræ Dux subrogatur. Fine Februarii horribilis Cometa apparuit, consequente lue pestilenti, & magna vi imbrium, ita ut à Festo S. Gregorii, ad usque S. Lamperti, supra medium annum pluvia tempestas continuaret, hastamen pluvias anno sequenti credimus accensendas.

*Wenceslaus Imp. dejectus.*

*Cometa apparet.*

A. C. 1401. Udalricus, an Waltherus ejus frater, ab Ulm Equestri Ordine vir, magnæ molis opus Montem Oliveti in media Cathedralis Xysti area molitur, totum secto, & exsculpro eleganter, in forma saxorum tempestate exeforum, scopulorumque prominentium, cum eleganti subtrus

*S. Mons Oliveti.*

*Abbacellense  
bellum.*

montem facello. Ipso anno Helvetii omnes, exceptis Suis, Rupertus Imp. Sacramentum fidelitatis præstiterunt. Natum subinde est bellum Abbacellense, longe omnium gravissimum sive gestarum rerum magnitudinem spectes, sive casus mirabiles, & fortuna in rebelles indulgentiam penè perpetuam, cum maxima multarum urbium & provinciarum Diœceseos nostræ ruina & desolatione. Conradus puerulus Dieffenhofæ instinctu Judæorum crudeliter occiditur, 26<sup>to</sup> Novembr. miris celebratus.

*Conradus  
Martyr.*

*Ludovicus  
Abb. Einsidl.  
obit.*

A. C. 1402. Moritur Ludovicus Abbas Einsidlensis Comes à Thierstein, electus Episcopus Argentinensis, in ipso apparatu & itinere, quo ad Pontificatum capebendum, nocte quæ VII. Idus Octobr. præcesserat, in arce Feficonis repentina morte abreptus. Post cujus obitum, magno omnium consensu lectus est Abbas Hugo ex Baronibus à Roseneck, quem Monasterii Administratorem Ludovicus se absente constituerat. Constantiæ hoc anno Majus sacellum, quod usque hodie extat, construitur. Fridericus Comes à Zollern fit Augiæ Abbas.

*Hugo Abb.*

*B. Margarita  
de Tiguro.*

A. C. 1403. Iterum perditissimo tempore, inter nebulas densissimas variarum calamitatum splendida effulget stella ex Monasterio Virginum Toffensi Beata Margarita de Tiguro dono lachrymarum felicissima, variis revelationibus à Deo illustrata, invincibilis patientiæ in diuturno & gravissimo morbo mirificum exemplar.

*Reformatio  
Einsidl.*

A. C. 1404. Hugo Abbas Einsidlensis, totus est in reparandis & in pristinum statum restituendis Monasterii rebus, per fastum & prodigalitem Antecessoris, absumptis & laceratis, ante omnia autem, sollicitus est, de præfca loco ipsi sanctitate asserenda, & luxioribus ad exemplum Principis Alcegarum moribus ad Sanctorum exempla reformandis, optimè omnino de Monasterio meritis & inter præcipua Diœceseos decora celebrandus.

*Abbacellenses  
prosequuntur  
bellum.*

A. 1405. Fervet bellum Abbacellanum, quo præter innumera anti-quitatis monimenta etiam arx vetustissima Comitum de Tockenbourg incenditur & subruitur, & Austriacæ ditioes fœde vastantur, Friderico vicissim Archiduce S. Galli oppidum obsidente, paulo post tamen deferente. Ipso anno Constantienses portam illam Urbis, quæ post S. Stephani Basilicam visitur, primùm construxere, vulgo Büntrich, sive Lanzenthor, appellatam. Campidoni mortuo Friderico ab Hirsdorf Abbati & Principi succedit Fridericus à Laubenberg, insigni prudentiæ laude plurimum celebratus.

*Frider. Abb.  
Campid.*

*Marquardus  
Episc. rebelli-  
bus minatur.*

A. C. 1406. Acrisus minis, postquam nil preces, nil monita profecerant deterret rebelles Abbacellanos eorumque auxilios Marquardus Episcopus noster Constantiensis, & rebellionis scelus, quæque sequerentur damna, clades, incendia, Dei gravissimam indignationem exaggerat, nullo penitus fructu, nisi obstinationis, & quod ipsimet Patri & Pontifici suo graviter & inexcusabiliter minarentur.

A. C. 1407.

A. C. 1407. Nulla habita cujusque ratione, in sacros æquæ ac profanos cives & externos sæviunt crudeliter rebelles, ingentemque vim castrorum & arcium Abbatiscellani cum Glaronensibus & Suiiis confœderatis, exurunt & diruunt per Turgoviam, ferro, flamma in ipsos quoque agros & vineas debachantur: postremo apud Constantiam, quia Episcopus noster, multas graves censuras in eos publicaverat, & excommunicaverat triduum Urbem obsederunt, sed frustra, cum nemo excursionem faceret, siue hostile aliquid tentaret, si forte hoc ipso docti ab injuriis & sacrilegiis abstinerent, motis inde castris vicinos diripuerunt, magna insolentia & arrogancia undiquaque populabundi. Pataverat exercitum contra eos Marquardus Episcopus, Nobilitatemque Sueviæ ad compescendam superbiam, & ignominiam refellendam accenderat, eo maximè quod per impotentiam animi sperferant, vulgo Abbatiscellani, si Brigantio (quo desperata Constantia iter & conatus flexerat) potiantur, Nobilitatem totius Sueviæ exterminaturos. At ipsum mors antequam destinatam expeditionem capesseret, paucis ante Christi Natalitia diebus, properata absumpsit, magna Virtutis & dignationis Antistitem.

A. C. 1408. Anno proin sequente ineunte, continuo de novo, his rerum turbis, instituendo Canonici consularunt, suumque Præpositum, anti-  
 quæ Nobilitatis virum Albertum Blaarerum Episcopum consalutarunt. Hic  
 antecessoris sui sequutus vestigia, magnas continuo copias comparavit, ci-  
 vibusque ad arma vocatis, cum proxima Nobilitate, Rudolpho in primis  
 Montfortio, & Sueviæ societate, Divi Georgii titulo per ea tempora insigni,  
 duxit in Abbatiscellanos nonam jam hebdomadem per acerbissima frigora,  
 Brigantium pertinaciter obsidentes, primaque luce, quæ Divo Hilario sacra  
 erat, in hostem in vectus, facile profligavit, magnamque partem cecidit, at-  
 ma, impedimenta, castra eorum in potestatem redegit, Brigantium, & in eo  
 Guilielmum Comitem obsidione liberavit, multosque ex hostibus, suamet  
 manu, generosè obruncavit. Nec dubium, quin ultra bellum progressurum  
 fuisset, nisi paulo post pugnam hanc, ipse Rupertus Imp. Constantiam ad-  
 volasset, suamque auctoritatem interponens, Abbatiscellanos debita præsta-  
 re Abbati suo, pacem cum Nobilitate habere, & inducias cum Domo Au-  
 striaca jussisset. Ipso anno Constantiæ porta alia, illa nimirum, quæ in la-  
 tiorem aciebus instruendis campum, vulgo, Briel, ducit, magna mole &  
 sumptu exstructa & communita est. Replet Constantiensem Diœcesim san-  
 ctitatis fragrantia & miris splendoribus Beata Elisabetha Reirtenfis Fran-  
 ciscana Virgo, magnis à Numine gratiis nobilitata, ita ut sacris etiam styg-  
 matibus, instar Seraphici Francisci insigniretur, æterno profus Episcopatus  
 nostri solatio & ornamento.

*Sacra & pro-  
fana miscent.*

*Constantiam  
obsident.*

*Episcopi co-  
natus.*

*Moritur Episc.  
noster.*

*Albertus Episc.  
copus.*

*Hostes profligat.*

*Rupertus Imp.  
Constantia.*

*Nova in urbe  
paria.*

*Alberto negatur confirmatio.* A. C. 1409. Albertus Episcopus noster, frustra Romæ confirmationem suam urget, pro irregulari habitus, quod jam electus Episcopus ipse manus in hostes strinxisset, & ut ferebatur suo gladio magnam stragem edidisset. Fuit nihilominus tanquam legitime electus, summo in honore & pretio habitus, quod nemo nesciret, non levitatis causa quæ fecerat, sed inculpatæ Tutelæ causa, & justo in juratos hostes odio, gessitque ea laude gubernacula Episcopatus, ut brevi tempore multa pro bono publico præstiterit, Constantiensibus in primis supra modum dilectus & Amicus.

*Schisma gravissimum.*

*Rupertus Imp. moritur.*

*Sigism. Imp.*

A. C. 1410. Vexatur misere Orbis Christianus & in partes distrahitur periculosissimo Schismate, manetque in statu turbido & incerto, ad usque Concilium Constantiense. Accessit ad cumulum mali, mortuo hoc etiam anno Ruperto Imp. Augusto, quem Constantienses Amicissimum experti plurimum deplorarunt, Wenceslao Ignavo Imperium denuo, sed frustra exambiente. Verum Jodoco Moraviæ Marchioni, & hoc post mensem 6. defuncto Sigismundo Ungariæ Regi Wenceslao germano supremi fasces delati sunt.

*Episcopus contra Tigurinos.*

*Albertus Episc. resignat.*

*Ottho Episc.*

*Suburbium Constantiense.*

*Porta 2. Vrbs.*

*Joannes de Witte.*

*Afflicta res Gabi.*

Eodem anno orta Episcopum inter nostrum & Tigurinos contentio, & mox bellum, popularuntque Tigurini quidquid Episcopatus fuit Tannecium usque, rursus Constantienses pari pari referentes plurimas Tigurinorum arcas & ditiones everterunt. Sed brevi rediere in concordiam, compromisso in Hermannum Toparchum de Landenberg facto.

A. C. 1411. Initio anni hujus, Albertus Episcopus noster, nec invito Rom. Pont. Episcopatum violenter retinere videretur, pulcherrimo observantissimi filii exemplo, ultro & sponte multis deprecantibus resignat, summo consensu capituli Otthoni Marchioni ab Hochberg & Rottelen, servata tamen sibi, & quidem mediocri annua pensione.

Ipsa hoc anno absolvitur magnæ molis structura, suburbii Constantiensis, muris robustissimis & duplici vallo fossisque communiti, idque duabus egregiis turritis portis fit pervium, alteram vulgo *Wangisthor*, alteram *Emmishofer Thor* appellant, civibus sibi mature ab Helvetiorum motibus, & insidiis præcaventibus.

Eodem anno moritur Beatæ memoriæ Joannes de Witte, socius Beatri Conradi de Grossis de Episcopatu nostro pariter optime meritis, uterque singulare ejusdem lumen, etsi in Basileensi mortui & in Steinenbach tumulati.

A. C. 1412. Mortuo superiore anno Chunone S. Galli Abbate Libero Barone de Stofflen, cum ob rerum nimiam turbationem, nemo esset qui tales exambiret infulas, Joannes XXIII. Mysnensem quemdam Benedictinum Abbatem renunciat, verum is vix contuitus statum loci, id mune-

nis renuit & Capellano suo offert Henrico à Gundelfingen, qui etiam annuente Pontifice & confirmante acceptat, & ipse non diu retenturus.

A. C. 1313. Sigismundus Imp. laudatissimus desiderio & cura tollendi gravissimi in Ecclesia Schismatis, durante inter tres Pontifices, Joannem Benedictum & Gregorium, summo rei Christianæ ludibrio & damno, contentione, in Italiam profectus, Laudæ Pompejæ cum Joanne XXIII. colloquium habuit, multisque rationibus perduxit, ut Concilium Generale, cui ipse met præfideret, Constantiam indixerit, Publicatio Laudæ facta V. Id. Dec. Pontificatus ejus anno quarto, Concili principio Kalend. Nov. anni insequentis decreto, qui totus in apparatu pene consumptus fuit.

*Sigism. Imp. zelus.*

*Concilium Constantiam indicitur.*

A. C. 1414. Infinitus hominum concursus Constantiam, cum eorum qui comæatum & merces convexerant, tum qui conducere habitacula à diversis Principibus & Pontificibus missi fuerant. Joannes Pontifex Joannem Cardinalem Ostiensem Episcopum præmisit, qui pridie Idus Augusti Urbem ingressus Palatium Episcopi, pro Pont. parare cœpit. Illum sequuti, penè in dies singulos, Cardinalium, Episcoporum, Antistitum, Regum quoque & Principum Legatorum ministri, ad capienda diversoria & necessaria paranda. Tandem VI. Kaled. Novembr. Creüzlingam Joannes XXIII. ductu & præsidio Friderici Austriæ Ducis delatus est. Inde die sequenti, cum inter Divina ejusdem diei officia Erhardum cogn. Linde, mitra redimisset, & ex Monasterii Præposito primum Abbatem creasset, Vespera jam inclinante Constantiam ingressus, magno Cardinalium, Episcoporum Abbatum comitatu, solemnissime exceptus & deductus fuit. Quarto post die, omnium Sanctorum cultui sacra Joannes Hus Hæresiarcha supervenit, cum nonnullis Bohemiæ & Moraviæ Nobilibus, sectatoribus & Amicis. Octavo Id. Nov. supplicationem solemnem instituit Joan. Papa obivitque ipse cum Cardinalibus quindécim, & Episcopis ac mitratis Abbatibus tribus supra viginti. Pridie Natalis Domini Imperator Sigismundus Uberlingam multo cum comitatu venit, summaque celeritate Constantiam trajecit, Divinisque sacratissimæ noctis officiis interfuit, & Evangelium: *Exiit edictum à Casare Augusto, &c.* habitu Diaconi cantavit.

*Confluxus hominum.*

*Ingressus Papa Ioan.*

*Solemniter deducitur.*

*Hus hæresiarcha.*

*Sigismundus Imp. venit.*

Ipsa anno Monasterium Fischingenense Diœceseos nostræ, Ordinis S. P. Benedicti, totaliter una cum Ecclesiæ terribili incendio incineres collabatur, S. Iddæ capite inter cineres inoffenso reperto.

*Fischingen exurit.*

A. C. 1415. IV. Non. Febr. Constantiæ, peculiari congregatione Episcoporum & Antistitum, Danis Suecis & Norvegis instantibus, à Joanne Papa B. Brigitta Regina compertissimæ sanctitatis probata & in sanctorum numerum relata est. Cæterum multis jam ex toto orbe Christiano Cardinalibus, Antistitibus, Doctoribusque præsentibus, optimum factu judicavere.

*S. Brigitta Canonizat.*

cavere.

- Consilium Patrum.* cavere Patres, si omnes tres, qui de dignitate contendebant, sponte eam abdicavissent, & eligendi de cætero Concilio potestatem reliquissent, sive ex iisdem unum, aut quemcunque alium nominare placuisset. Id cum Joannes haud respuisset, ratus sua promptitudine, ut de novo eligatur meritum, Pontificatum ultro exiit VI. Non. Mart. ea tamen conditione, ut dignitatem nihilominus tantisper retineret, donec cæteri etiam duo competitorum deposuissent. Sed facti mox pœnituit & Friderici Austrii ope Constantia evasit, utriusque factum, postquam innotuit, Cæsare totoque Concilio plurimum detestante, & pessimè cum Friderico actum fuisset, nisi fidelitate Aulici Ministri Joannis Dapiferi à Diessenhofen, periculo exemptus esset, qui ipsum famuli cujusdam sui pallio indutum & cappa hacque supra vultum inducta, plagis ceu male meritum extra urbem exegisset, ac dein primum in tutum profugo vitam gratulatus esset. Proscriptus quamprimum à Cæsare est, omnesque urbes & ditiones ejusdem armis subacta. Relictus ab omnibus miser Fridericus, & jam cum Joanne suo profugus, Ludovici demum Palatini Electoris consilio acquievit, & se suaque omnia, uno cum Joanne Cæsari permisit, Joannes autem variis criminibus accusatus damnatusque VI. Calend. Junii Pontificia dignitate privatus est, Sefs. XII. mox Sigismundo commissus & Gottliebensi castro inclusus, mox à Cæsare Palatino creditus, & Manheimii asservatus, post triennium fraude elapsus, Martino Papæ se se dedens Cardinalatum meruit. Cessit etiam juri suo, etsi optimo Gregorius, Benedictus acquiescere nolens, nec comparare pro Hæretico damnatus est. Nec minus interea cum Hussio tractatum de Hæresi abjuranda, quem obstinatione mentis pervicacissimum Patres tradito antiquis more flammis adjudicavere, prid. Non. Julii Sefs. XI. exustusque est eadem die, & cineres in Rhenum abjecti, Hieronymo Pragensi Hussi socio Hæresim aliquamdiu ejurante, libertas aliquamdiu concessa, sed quando animadversum, repetere quæ damnaverat, captus denuo & in Gottlieben inclusus est.
- Ioan. Papa Constantia profugit.* A. C. 1416. Pestilenti lue Saxoniam aliasque provincias per Germaniam invadente, per hac illacque commeantes, contagio etiam Urbi nostræ illata est, non sine metu dissolvendi Concilii. Innotuit tunc Patribus, potens adversum pestilentiam S. Rochi, superiore primum sæculo defuncti patrocinium, quorum Decreto, ad propulandam inguentem luem, eidem honores Sanctis debiti sunt impensum & solemni pompa ejus imaginem, omni comitante populo, per Urbem detulerunt: quo facto, illa pestis mox evanuit. Inde vero exemplum sumptum est, ut ubique locorum ejus venerandæ imagines, altaria, sacella, ac denique templa erecta fuerint, utque merito Constantienses ad ejus memoriam, præ cæteris afficiantur, tanto promptius exaudendi, quanto maturius S. Rochum honorarunt.
- Ioan. Papa Constantia profugit.*
- Fidelis minister.*
- Fridericus Austr. deprecatur.*
- Ioan. Papa reducitur.*
- Exurit Hussi.*
- Pestilens lues.*
- S. Rochi Patrocinium.*
- Pestis prodigiose sublata.*

Constantiæ item Sess. XXI. Tertio Cal. Julii post octavum captivitatis Hieron. Pragensem Hieronymus Pragensis, cum abjuratiōem antea à se factam de-  
testaretur, damnatus ad rogam, ignibusque exustus est.

A. C. 1417. Contra Benedictum multæ sessiones habitæ, adniti-  
bus nimium pro eodem Joannis Castiliæ Regis Legatis, & commune bo-  
num, tranquillitatemque Ecclesiæ differentibus, nihilominus denique VII.  
Kal. Aug. sessione XXXVII. ipsum Patres Pontificatu exuerunt, & vulgatis  
ediçtis nequis amplius pro Pontifice ipsum haberet, statuerunt, simulque  
de novo eligendo Pontifice consilia iniere. Designata denique dies fabri-  
cati ad ipsum conclavis subeundi VI. Id. Novembr. comparatisque post  
paucos dies sententiis, communibus omnium suffragiis, ipso Festo S. Marti-  
ni Turonensis Episcopi Otho de Columna Cardinalis prodiit summa  
omnium gratulatione summus Pontifex salutatus & à præsentis Festi nomi-  
ne, Martinus V. appellatus. Is paucos intra dies sacris initiatus & Episcopus  
factus, cum obedientiam ab omnibus, qui aderant, Regum & Principum  
Legatis accepisset, XI. Cal. Decembr. die Dominica in æde Cathedrali,  
ritu solempni, & maximo omnium applausu & festivitate triplici corona redi-  
mitus est. Mansit post electionem Constantiæ diutius quinque mensibus,  
quo toto tempore Concilium Generale, maximæ procul dubio auctori-  
tatis fuit, fuerantque plurima quæ antecesserant approbata, alia de novo  
summa auctoritate instituta & promulgata.

Ipso anno magnum nascitur Sydus Diœcesi nostræ Beatus Nicolaus  
Silvaniensis.

A. C. 1418. Tandem cum jam Patres Concilii Constantiensis, an-  
nos quatuor & sex menses Constantiæ exegissent, ad suas cuique oves re-  
meandi potestatem Martinus Pontifex dedit, & X. Cal. Maij omnium maxi-  
mo consensu Concilium solvit post Sessionem XLV. 22. Aprilis celebratum.  
Ipse vero 16 Maii die, ingenti pompa, frenum tenente dextra parte Sigis-  
mundo Imp. læva Friderico Electore Brandenburgio, Constantia discessit &  
in Italiam contendit. Referunt, qui Concilium acuratus descriperunt,  
connumeratos semel inter tempus Paschale & Pentecostes, eos solummodo  
ex advenis, qui spectatiores erant (promiscuæ siquidem plebis numerus  
absque numero erat) sexaginta millia quingentos, quos inter fuerint Archi-  
episcopi 346. Ducum, Principum, Comitum, Baronum & Equestis Ord.  
Virorum sedecim millia. Ex quo colligas, quantus eorum fuerit numerus,  
qui toto Concilii tempore, eodem occurrerunt, siquidem singulis annis ad-  
numerati, & ad unam summam, ut vulgo vocant, collectim designati fuis-  
sent. certè, ut alios Legatos taceam, trium & octuaginta Regum Legati,  
adfuisset memorantur. Cæterum ij, quorum partes eo in Concilio erant,  
votisque suis publicæ utilitatis causa aderant, interfuisse publico Conventui

- Specialis con-* deprehuntur Cardinales XXVII. cum hominum comitatu M. CC. XLV.  
*numeratio.* Patriarchæ sex cum comitatu CLXXII. Archiepiscopi XXXIX. cum famu-  
lis MD. CCXL. Episcopi C. XC. cum comitatu M. M. M. CCLXVII. Pro-  
curatores Archiepiscoporum XVI. Episcoporum LXIV. cum comitatu  
CCCC. Abbates CXLXVII. cum hominibus M. CC. XXIII. Procuratores  
Abbatum XXXIV. cum hominibus LXXX. præter inquam illos, qui ex A-  
sia, Africa, Græcia, Oriente toto, infinito quasi numero, sive propriæ utili-  
tatis causa, sive curiositatis ergo undique confluebant. Hoc eodem an-  
no moritur, Ven. Hugo Abbas & Princeps Einsidensis Liber Baro de Ro-  
feneck, inter præcipua lumina Diœceseos, sui que temporis ornamenta re-  
censendus, insignis Monastica vitæ & disciplinæ restaurator, magnis animi  
& corporis virtutibus, rara prudentia præditus, & summa apud Principes  
auctoritate. Morbo absumptus est, magno sui relicto desiderio XVII.  
Cal. Novembr. ejusque in locum subrogatus Burcardus à Krenckingen Ba-  
ro Wyffenbergius.
- Moritur Hugo* A. C. 1419. Constantienses in præteriti Concilij memoriam varia insti-  
*Abb. Einsid.* tuunt, ubi in diversis ædibus Principum qui incoluerant, statuarum aliæque e-  
recta monumenta. Pergunt autem pro virili Urbem communitate, quod  
cum ob reverentiam Patrum Concilij, non nihil arma continuissent Hel-  
vetij, statim deinceps ea resumpserint, Libertatis studiosiores quam æqui-  
tatis.
- Molendinum* A. C. 1420. Maximis impensis Constantienses, Molendinum navale ad  
*navale.* Rhenum moliuntur, juxta campum illum Elysium vulgo Paradyfi dictum,  
ubi horti suburbani hodie magno numero cernuntur. idque nulla arte seu  
contentione efficere possunt. Annus insolita frugum maturitate præno-  
bilis.
- Iterum cælis magnum transmittit sydus Diœcesis nostra, Beatam Elisa-  
betham (vulgo Guott Betha) dictam, familia Achlini monialem in Reütin  
Sueviæ prope oppidum Waldsee, quæ 12. annis absque victu necessario  
naturæ vixit & 25. Novembr. sancto sine deceffit, magnis usque hodie mira-  
culis commendata.
- Bellum Huff-* A. C. 1423. Constantiæ & tota Helvetia atque Alemannia tympana  
*sicium.* pulsata, & subsidiarij milites Imperatori Sigismundo missi adversum Bo-  
hemos Hæreticos, Helvetijs inprimis strenuè operam navantibus, in qui-  
bus Cæsar plurimum confidebat. Hi magno Episcopi nostri & Urbis plau-  
su ea occasione, quæ in semetipsos & vicinos strinxerant arma, in hostes, et si  
modico, uti deinceps audiemus, fructu converterunt, & hoc modo pa-  
*Helvet. paz.* tria plurimum consuluerunt.

A. C. 1422. Quam odiosus initio vix adito Pontificatu Canonicis fuit Ottho Episcopus noster, quod ob summam generis dignitatem (Mar-<sup>Hugo Episc.</sup> chio Hochbergius erat, & summis orbis Principibus cognatus) & arro-<sup>se ipsum com-</sup> gantem & prodigum fore censerent, eoque nomine Romæ derulerant,  <sup>mendat.</sup> tam gratus postea omnibus extitit, eximia in omnes benevolentia & singulari humanitate, procul fastum omnem habens, & ingluviem libris quam maximè deditus, & solidæ pietati, ita quidem ut & ipse libros scriberet, & sese religiosissimè occuparet, alia inter singulari erga DEI param cultu Psalterium novum Ejusdem honori meditatus. Extat optimi Princi-<sup>Libros se i-</sup> pis in Augia Divite, illustre etiamnum monumentum, Liber ejusdem ma- <sup>bit.</sup> nu scriptus, idemque pro meritis tanti scriptoris auro & argento adornatus; cujusmodi in Bibliotheca Cathedrali plures olim habiti, & in Weingartenli hodie habentur, & alibi manu propria B. Salomonis Comitis à Ranswag, & B. Notingi Comitis à Veringen, Episcopis sanctissimis dignissima ingenij monumenta.

A. C. 1423. Colliduntur hoc anno graviter cum Helvetijs Constantienses nostri. Erant tunc hostes Mediolanensium jurati Helvetij. cumque mercatoris cujusdam Mediolanensis merces intercipere pro virili laborarent, longâ assequuti investigatione in lacu denique Potamico, & ipsi conscensis navibus hostiliter occuparunt, & ex condicito inter se partiti sunt, Constantiensibus id in oculis suis & lacu suo fieri ægerrimè ferentibus, moxque in Helvetios conscensis navibus vela facientibus, ipsisque devictis, omnia mercatori restituere cogentibus, quæ jam Helvetij viritim & per capita distribuerant; ex quo tempore odia denuo accensa multaque & lites & cædes consequutæ sunt.

Pestilenti lue vexatur plurimum Diœcesis nostra, per Helvetiam inprimis, Tiguri minimum ter mille absumptis, de qua tamen lue, nihil Annales Urbis nostræ memorant, ita ut vigilantibus Magistratus cura, nihil ejus sensisse Constantia videatur; recenti etiam procul dubio S. Rocchi Patrocinio denuo defensa.

A. C. 1424. Suicij Legatos ad Sigismundum Imp. mittunt, qui ostenderent, ipsum, bello Austriaco postremo, quod ejus auctoritate & jussu, contra Fridericum Austriam gesserint, scripto pollicitum, & per Legatos, quæcunque ejusdem Ducis Dominia occuparint, habituros in posterum fruiturosque. Petiere eodem jure Advocacionem Cœnobij Einsidensis, quæ penes Ducem remanserat, quasi iisdem Cæsaris promissis contineretur, impetraruntque primum, Cæsare paulo post concessionem revocante, & quod per fraudem impetrata esset contestante.

*Ottho Episc. Prefectura Urbis redimit.* A. C. 1425. Ottho Episcops noster lectissimus Praefecturam Urbis (*Stattmann Amt*) magno Episcoporum incommodo ab Antecessoribus oppignoratam, ab Henrico Ehingero de Guttenauw pro Diœcesi redimit, nec pauca alia summo successorum bono, ab aliis neglecta recuperat, civibus ipsi ob singularem humanitatem plurimum faventibus; qui ipsum etiam pridem adversum Canonicos foverant, & juverant.

*Duobus Syderibus orbatur Diœcesis.* A. C. 1426. Duo magna omnino luminaria cœlum eripit Diœcesi nostræ & sua inter sydera cum plausu magno Cœlitum infert: Beatum Conradum de Grossis, de Diœcesi olim nostra meritissimum, virum plane Apostolicum, Ordinis S. Dominici Reformatorem insignem, & nostrorum Constantiæ Cœnobiorum Reformatione uberrimi in Urbe nostra fructus promotorem, S. Conradi Episcopi Urbis Patroni re non minus quam nomine imitatore, qui & ipse aquas siccis pedibus inambulasse memoratur. Decessit autem in Monasterio Virginum à se restituto, die 2. Martii, quo ipso anno Beta Clara Anna nostra ab Hohenberg sive Hohenburg, monialis Dieffenhofensis, memorati Cœnobii Schönensteinenbach prima Priorissa ad æterna meritorum præmia vocata fuit, mortem optimi Institutoris sui B. Conradi ipsa post septem dies, octava nimirum Martii consequuta. cui haud imparibus meritis ex eodem Dieffenhofensi Cœnobio Elisabetha Meringerin successit.

*Moritur B. Conradus Dominicanus.* Moritur eodem anno Henricus de Mansdorff Abbas S. Galli cum ad Concilium Basileense concederet, morbo interceptus, & sub cura Medicorum Fryburgi mortuus, cui Egolphus Blaarer de Wartensee, celebri familia successit.

*Item Henricus Abb. S. Galli.* A. C. 1427. Nunc denique Constantiæ Molendinum majus celeberrimum, mira arte, maximo sumptu, ubi hodie visitur, Rheno imponitur. quo ipso anno Constantienses 300. cives armati Lacum inferiorem, Venetum olim, hodie Cellensem invadunt, navesque omnes diripiunt & retia auferunt, quo piscatores lacus illius contra consuetudinem & pacta, piscationem instituisent.

*Molendinum majus Constantiæ.* A. C. 1428. Mortuo superiore anno Henrico Barone ab Hornberg Augiæ Divitis Abbate parum utili præfule, postulat e Monasterio S. Blasii Fridericus Baro de Wartenberg, à vicina Nobilitate & Vasallis Cœnobii, statum perditum tam sanctæ & splendidæ olim Augiæ dolentibus, qui & Romæ hoc anno confirmationem meretur, etsi cœca ambitione duo alii, quidam Baro de Gundelfingen Canonicus Constant. & Albertus Baro de Sax Einsidensis Asceta illud munus sedulo exambirent. Fuit Fridericus, magnum totius Ordinis decus, æterna utriusque Cœnobii & S. Blasii & Augiæ gloria, hujus & reformatore, & restitutor meritissimus, ita ut alter

*Competitores rejecti.* Pirminius, magno sane titulo, haberetur. Constantiæ pulcherrima & magni-

*Alter S. Pirminius.*

& magnifica S. Stephani Basilica, magno splendore & sumptu exstruitur.

A. C. 1429. Perficitur denique incredibili labore, impensis maximis, Molendinum de quo supra Urbis nostræ nobilissimum, quod nemo non usque hodie procul venientium summe admiratur. Eodem anno Domus, à Cato cognominata, pro conventu & colloquiis Civica Nobilitatis emitur & exstruitur, vulgo *zur Raken / & zur der neuen Raken* appellata, eo quo vetustior domus Conventus, prope scholas publicas sita, eodem nomine appellaretur. Ea tamen non solum sed urbe tota plerique hoc anno Nobiles exclusi hoc ipso anno sunt, tumultu civili tertio, plebe adversum Nobilitatem insurgente & arma corripiente; qua re tantopere offensus est Ottho Episcopus noster, urbi cateroquin charissimus, ut illico cum tota aula sua Schaffhusium emigraret, quem plerique Nobilium & Patriciorum eodem consequuti sunt, inter cives etiam illic recepti, data fide de Urbe totum annum habitanda, licitum tamen cuique deinceps foret, extra in suis castris & arcibus habitare. Excessere autem sequentes; Dominus Henricus ab Ulm Eques, Georgius & Henricus de Ulm Henrici Superioris filii. Jacobus & Conradus de Ulm, fratres, superiorum cognati. Henricus de Dettickhofen. Jacobus de Dettickhofen Henrici filius. Bruno de Dettickhofen. Jacobus de Dettickhofen dictus Zapff. Henricus de Roggyveil. Udalricus de Roggyveil Henrici filius. Henricus de Hoff. Joannes Frey. Conradus Rauch à Wininden. Henricus Montprat de Spiegelberg. Luitfridus Montprat, &c. Udalricus Blaarer à Girsperg & Güttingen. Joannes Blaarer, &c. Henricus Schilter. Diethelmus Schilter. Joannes de Schönauvv. Conradus Rillin. Wilhelmus Stetter. Jacobus Apotecker. Rudolphus Rauch de Winiden. Udalricus Linden. Joannes Linden. Petrus Sonnentag Senior. Petrus Junior & Joannes Sonnentag superioris filii. Joannes de Creüzlingen. Ludovicus Hertler ab Hertler. Hugo Rudolph. Conradus Kilcherr. Henricus Kilcherr. Henricus, & Joannes & Udalricus de Schvvarzach fratres. Conradus, & Joan. Conradus Eglin ab Herderen fratres. Henricus Huober. Joannes Huober ejus filius. Conradus Ehinger de Guottenauvv. Joannes Stickel Conradi filius.

Excessere prius Urbe subodorantes plebis conatus: Joannes Schwarz residens in Egg. Rueggerus Hartzler de Salenstein, residens in Bomgarten. Albertus de Landenberg residens in Sandegg. Albertus Blaarer pergens ad S. Galli. Conradus Blaarer residens in Güttingen. Udalricus Blaarer in Wasserstelz. Manzo de Roggyveil, residens in Castell. Udalricus Goldast in Hermanstorff. Balthasar Engeli ab Egelsee; Rudolphus Rauch. Conradus Rill. Conradus Widt, &c. Mansere plerique extra urbem, donec res à Casare componerentur.

*Cicantur  
utrinque.*

A. C. 140. Cæsar Sigismundus Nobilibus ac civibus Urbis nostræ Constantiensis pro causa dicenda dicit, & præfigit Dominicam Oculi, admonetque juxta cives, ut Nobiles Patriciosque eo quo obligaverant Sacramento solvant. Legatus Cæsaris erat Joannes Comes à Lupffen, surdis auditus auribus à cive, Nobiles solvere profus recusante. Ergo denuo compellandi. comparuitque per Legatos utraque pars Norimbergæ stata die, Cæsare in Prussia occupato, per cujus absentiam rem differendam Electores censuere. Cives postea maritimas lacus Potamici urbes pro arbitris elegere, recusante Nobilitate, & arbitrium Argentorato, Basileæ, Augustæ, Tiguro, Ulmæ, Ravenspurg & Biberaco differente. tergiverfantibus modo his modo illis, donec Cæsare demum jubente, ex 19. tribubus, decem solummodo fierent, totidemque Nobiles, pari votorum numero, Consulem deligere permetterentur.

*Differtur  
negotium.*

*Cæsaris sen-  
centia.*

*Novæ turba.*

Sed & novæ eodem anno per absentiam Nobilitatis, in Urbe nostra turba, ob Judæos & civium quosdam, quibus viginti tria millia florenorum Cæsar debebat, debitis contractis tempore Concilii Constantiensis. Periclitatus à furore civium Magistratus est, imo violenter exauctoratus, cum plebs octoginta Senatores eligens, eosque inter sex Nobiles qui in urbe remanserant accensens, Magistratum priorem, posteriori sacramento obstringerent; & priori fidem jurare cohererent, novisq; electis Consulibus, Andreæ lanioni cupian & Udalrico Schilter primæ Nobilitatis viro. ita tamen ut ignobilem & plebejum Nobili præferrent.

*Novus Magi-  
stratus.*

*B. Nicolaus de  
Flue.*

A. C. 1431. Illustrat splendoribus Sanctorum mirificè optimum Numen Beatæ memoriæ Nicolaum nostrum de Flue, se decem nunc annorum juvenem, rusticis parentibus Henrico de Flue & Hemmanâ Robertinatum, & licet omnium ignarum literarum mirabiliter tamen instituit, & cælesti Visionum gratia, de eventuris edocet. Vidit alia inter, eo ipso loco, quo postea cellulam condidit, turrim altissimam, cujus culmen cælum ipsum pertingebat, & ex eo tempore totus amore solitudinis exarsit, ita ut omne confortium hominum fastidiret; ab ipsis & familiaribus etiam se subduceret, totumq; se Divinarum & salutarium Meditationi traderet. Ipso anno Fredericus Comes Tockenburgius, & stratagemate, & subitâ oppressione, terra mariq; Constantiam nostram aggressurus, incertū Austriacorumne factione, an Confœderatorum; attentissimorum in rem suam, & proxima vicinorum calamitate excitatorum civium vigilantiam eludere non potuit, verum maxima sua & suorum confusione inde sese recepit. Eodem anno Ludos Equestres celebrat Constantiæ Sigismundus Imp. in quibus, ne solis Equitibus, laus sua & gloria esset, Matronæ etiam Nobiles, honoris aliquid sortitæ, honesta & certa ad numeros saltatione sese exercuere. inde omnes à Cæsare ad Palatium

*Viso ejus-  
dem.*

*Constantiæ  
periculum.*

*Ludi Equest.  
Constantiæ.*

*Matronarum  
recreatio.*

Episcopale invitata & haustu vini recreata, singulæ ab eodem aureis annulis donata

donata sunt. Fulmine tactum, eo ipso anno, prædium quoddam in suburbio Petrusiano undecim secum ædes rapuit.

A. C. 1432. Hunc annum, superiore malii, nonnulli 34. sæculi Episcopo nostro Otthoni in Præfultu supremum volunt, qui ultro & sponte Friderico Zollerano Comiti honorem resignavit, ut sibi ac DEO soli quietus vacaret. Proin ad Patrum Franciscanorum Cœnobium concedens, ibi vitæ reliquum sanctè transegit, cum paulo ante resignationem morbo Epileptico cœpisset laborare, quem tulit patientissime, solo amore Numinis, ejusque Sanctissimæ Matris delectatus seque ipsum solatus. Superstes etiamnum Albertus Blaarerus fuit. hoc resignante, ita ut tres tunc Episcopi Constantiæ conviverent, Amici omnes, & sua quisq; sorte contenti, quod ex raris ajunt esse contingentibus, nulli autem horum non fuit gloriosum, & electum fuisse & postea resignasse.

*Resignat Ottho Episc.*

*Tres simul Episcopi superstitet.*

A. C. 1433. Ingens annonæ caritas, aliquot deinceps annos durans, ut Turgovia passim tota, effusionalibus diebus carniū esus panis defectu concederetur, confluyente ingenti pauperum multitudine, quorum indies Constantiæ publicam eleemosynam mille septingenti accipiebant. Moritur hoc ipso anno exauctoratus à seipso, Episcopus noster Ottho Marchio Hochbergus 15. Novembr. sepultus in parte dextra ante chorum Basilicæ Cathedralis, versus Episcopi Palatium.

*Ingens annona caritas.*

*Moritur Ottho Episcopus.*

A. C. 1434. Inter præcipua Diœceseos, perditissimis hinc temporibus sanctioris vitæ fama effulget Wiblingense Cœnobium, sub Udalrico Abbate, strenuo ejusdem Reformatore. Campidoni moritur Fridericus à Laubenberg Princeps sapientissimus & de Cœnobio illo optimè meritis, cui Peregrinus, vulgo Pilgrinus de Werdnovv in Principatu sufficitur. Rhe-naugiæ item Hugo ab Almishofen extinguitur, succedit Joannes Kumbar.

*Peregrinus & Werdnovv. Abb. Campid.*

A. C. 1435. Fieschingensis Cœnobii alter Fundator sponte resignat, Joannes Harlin Abbas longè meritissimus, qui omni fortuna major, Cœnobium una cum Ecclesia horribili incendio in cineres collapsum, non solum elegantiora restituit, sed sancta simul & felici Oeconomia thesauros colligens, duplo plus, quam à prima fundatione Monasterium habuerat, Dominiorum & possessionum coemit, & quanto plus DEUM coluit, & in pauperes liberalis fuit, tanto magis felicitate & opibus profecit, inter singulatia Diœceseos ornamenta, merito adnumerandus. Tugii eodem anno 3. Martii subsidente paulatim solo plateæ unius, quæ proximè lacum erat, ædes viginti sex, præter plura alia ædificia, turres & mœnia a quis hauriuntur, nullo penè sui vestigio relicto, mortalibus plurimis absumptis, & in abyssum raptis, excepto unico infante, qui in cunis, post varias toto lacu jactationes prope Sæculum S Nicolai ad ripam incolumis delatus est. cæteris civibus ex oppido, per metum & horribilem fragorem elapsis, in proximos colles profugientibus. Tanta anatum vis venalis Constantiæ, ut una die supra 60. milia venundarentur.

*Joannes Abb. Fiesching.*

*Alter Fundator.*

*Resignat.*

*Tugii pars Urbis mergitur.*

*Synodus Constant.* A. C. 1436. Hoc, an superiore anno, paulo tamen ante quam resignaret, aut moreretur Episcopus noster Fridericus Comes Zolleranus Constantiæ Synodum collegit, & Dioecesi suæ piè consulens, Clerum ac populum reformare meliore disciplina pro virili allaboravit. Computo dein Monasteriorum, Ecclesiarum & Parochorum factò, numerata sunt Monasteria Diœceseos Constantiensis 350. Parochiales Ecclesiæ 1760. in quibus 17. millia Sacerdotum alebantur. Super quo numero non nemo ait, siquidem à quavis marca argenti Episcopus tres solummodo obolos exegisset, 16. millia florenorum fuisse collecturum. Mortuus est in Gottlieben ultimo Julii hujus anni, Princeps humanissimus & nemini non charus atque in Choro Cathedrali tumulatus. cui 4. Augusti Henricus IV. Liber Baro ab Hövven Præpositus Constantiæ Cathedralis, Decanus Argentinensis subrogatus est, & mox quarta post die ab Eugenio IV. Pont. Max. tunc Basileæ agente, confirmatus.

*Moritur Fridericus Tockenburgius.* Mortuus hoc eodem anno est, qui superiore resignaverat, Joannes Abbas Fischingensis æterna memoria celebrandus.

*Bellum Helveticum.* Extinctus etiam absque liberis, qui nuper Constantiam nostram hostiliter & fraudulentè, sed frustra & irrisus tentaverat, Fridericus Comes Tockenburgius, absque liberis, super cujus deinceps hæreditate contententes Tigurini & Suitii, graviter collisi sunt, suscitatumque bellum, quod multo sanguine & vastitate plures per annos, non modo Helvetiam, sed vicinas quoque provincias vehementer concussit, & attrivit. Ipso anno turris Ecclesiæ S. Stephani absolvitur.

*Inundatio Constantiæ.* A. C. 1437. Torrens ille, qui suburbium Constantiense, vulgo Stadelhofen dictum interfuit, tanta se exundatione per plateas omnes latè effudit, ut cives suburbani in civitatem sese recipere coacti sint. Torrentem hodie Gerberbach vocant. Henricus Episcopus nimium pompis deditus, plurimum suæ Ecclesiæ nocuit, cujus plurima bona abligurivit. cum primum Urbem inveheretur, quingentorum Equitum Comitatu superbiens. quo ipso plurium statim animos offendit. Tigurini, etsi causa solemnè judicio caderent, & Confœderati omnino vellent, ut judicato acquiescerent, nihilominus ferro contra Jura disceptare statuerunt, & vero etiam prosequuti sunt. Moritur Sigismundus Imp. Urbis nostræ amantissimus.

*Tigurinorum obstinatio.* A. C. 1438. Succedit hoc anno XIII. Cal. Aprilis Albertus II. Austriæ Dux & Ungariæ Rex, gener Sigismundi ab Electoribus Francofurti Imperator consalutatus. Sæviebat prope ubique atrocissima fames, quæ infinitos mortales ad extrema perpulit. Repertos ferunt, qui ex se procreatos liberos in partes disseuerint, & sale in usum cibumque condierint; & ubi proprii defecerant, alienos ad eundem finem abripuerint. Collisi cum Episcopo nostro Nobiles Hegoviæ, contra eundem confœderantur, inde

*Albertus II. Imp.*

*Fames atrocissima.*

*Provincia vastitas.*

inde magna passim provinciarum incommoda, cum impunè passim milites grassarentur, itinera omnia infesta, rapinis, incendiis sed & cædibus redderentur.

Eodem anno Constantiæ cives duo, seditionem concitare conati, in foro superiori, ad terrorem aliorum capite plexi sunt. Ipso anno Burcardus Abb. Einsidl. mortem obiit 21. Dec.

A. C. 1439. Pestilenti lue latius grassante, Constantia quoq; nostra laborare cœpit, quatuor millibus paucos intra menses sublatis, frequentiore nihilominus populo quam ut defectus aliquis hominum appareret. Episcopus Henricus, etiam cum Nobilibus Urbis nostræ collisus incertum qua de causa hostilia extra urbem exercuit. malis deinceps invalescentibus. Mense Januario in Monasterio Einsidlensi Abbas eligitur Rudolphus III. ex Comitibus Saxi, Mesauciæ Dominis, qui tum Custodis munus obibat. Ipso anno fundamentum posuit magnificentissimi Chori Basilicæ S. Galli Abbas ejusdem loci & Princeps Egoolphus Blaarer ingenti sumptu, mole, opere, in quo multis annis diversi Architecti plurimum desudarunt, donec Ulrici Abbatistempore anno Christi 1483. suprema deniq; manus imponeretur. Conciliabulo Basileensi Felix Antipapa eligitur.

*Peste 4000.  
Constantia  
moriuntur.  
Episcopi  
guerra.*

*Chorus S. Gal-  
li struitur.*

A. C. 1440. Alberto II. Imp. demortuo Fridericus III. Austriæ Dux Ernesti filius, Leopoldi ad Sempacum cæsi nepos Augustus salutatur. Inquietis Helveriarum rebus, cum defectus undique fierent, listere se etiam Beatæ memoriæ Nicolaus Sylvanensis debuit, neque uno loco, sed pluribus se virum exhibuit, & militem ubique bonum; monitur omni loco, ne militari licentia, hostis commilitonibus suis Deus ipse redderetur. Ita hoc anno totale excidium, à feracissimo hucusque tot sanctitate illustrium Virginum Cænobio Diessenhofensi, cum illud cum hoste infessore circumcluso exurere focii statuissent, avertit. Constantiæ Porta Urbis quæ Scotorum vocatur exstruitur. & nova lege prohibentur Judæi in Urbe habitare.

*Frider. III.  
Imp.*

*B. Nicolaus  
Sylvan. mi-  
les.*

*Porta Urbis  
nova.*

A. C. 1441. Vita excedit hoc anno Albertus Blaarerus, olim Episcopus Constantiensis, quietis publicæ causa à seipso exauctoratus, insigni pompa tumulatus, cujus memoria in benedictione est. Obit autem 8. Aprilis. Pergitur alacriter in communiendo Vallis fossisque suburbio Constantiensi Stadelhofen, sed & campus & planities Paradysi amplissima, fossis Valloque circummunitur.

*Albertus  
Episc. mori-  
tur.*

Ipso anno confederatæ cum Urbe nostra civitates, aliquot millium collectis copiis, contra Lupfenses Comites & Confederatam Nobilitatem, pacem & commercia turbantes, profecti, castra arces pagos vicus eorundem, armata manu subigunt, omnesque munitiones evertunt. In Monasterio Rhenovienfi Nicolaus Comes de Sultz Abbas eligitur.

*Domiti Nobi-  
les.*

## CHRONOLOGIA

322

- Imago B. M. V. sudans.* A. C. 1442. Helvetiis inter se graviter collisis, & Suitsensibus Monasterium Virginum Cisterciensium Wurmispach prope Rappersvillam invadentibus, Dei paræ ibidem cum puero Jesu imago plurimum sudare est visa. Ipso anno Egolphus S. Galli Abbas ætate & morbis consumptus supremum diem obiit, ipso festo Pentecostes, in Sacello prope Xystum Ecclesiæ sepultus.
- Egolphus Abbas obiit.* A. C. 1443. Constantienses ab Friderico Imp. (quem splendide hoc anno exceperant & tractaverant) impetrant, omnia deinceps suo sub caduceo, judicanda submitterentur, quæ antea Præfecti illius, qui in **Statto ammann** vocant judicio subiciebantur. Proinovus ejusmodi Præfectus designatus est, sive Judex qui causis præsideret, cui decem adjuncti sunt Senatores, quinque ex Nobilibus, ex plebeis totidem quæ res Henrico Episcopo plurimum displicuit, quod sui Præfecti plurimum auctoritati decederet, multumque salario scribandum Judicialium detraheretur. In Helvetia omnia turbata, & Confœderati graviter offensi, quod Tigurini propria utilitatis causa, cum Austriacis fœdus pepigissent.
- Turbata Helvetia.* A. C. 1444. Henricus Episcopus noster, componendis Helvetiæ rebus diem XXII. Aprilis quo Bada convenient partibus denunciavit; fuitque Conventus Austriacæ Nobilitatis præsentia Principumque Imperii & Civitatum, nec non Concilii Basileensis Legationibus longè celeberrimus, sed nullo profectu, eademque quæ semper, partium contumacia, Tigurinis fœdus Austriacum retinere volentibus, confœderatis id improbantibus, & ex fœderum forma disceptandum, contendentibus.
- Conventus Badensis.* Iterum militem agit B. Nicolaus Underwaldensis, ipse inter arma terrena, cælo militans, cujus procul dubio contuitu, multa à Sociis pericula averfa sunt; quæ per absentiam Nicolai omnes pessum dedissent.
- Diffidium Helvetiorum.* A. C. 1445. Floret etiamnum florentissima Vallis S. Catharinæ sive Diessenhofense Virginum Cœnobium, nuper opera B. Nicolai Sylvani ab exitio servatum, inter tot tempestates & clades patriæ, & præter supra commemoratas Sydereæ claritatis stellas octo & triginta sanctitatis opinione celebres ejus loci Virgines, circa hæc tempora ibidem DEO serviisse memorantur quarum acta, necdum publicè luci data haud leviter dolemus. Acriter fervet bellum Helveticum Confœderatorum contra Tigurinos & Austricos; in quo componendo omnem frustra lapidem movit Henricus Episcopus noster.
- B. Nicolaus militem agit.* A. C. 1446. Constantiæ Conventus Principum celebratur, præfidente nomine Cæsaris Ludovico Electore Palatino, in quo de pace tractatur & Helvetici motus componuntur. Successit feliciter negotium, & Divino aspirante Spiritu Feria V. Pentecostes Pax confecta est, incredibili totius Urbis plausu, summaque & Helvetiæ & Alemanniæ gratulatione.
- Monasterii Dissenhofæ felicitas.*
- Bellum Helveticum.*
- Conventus Principum.*

A. C. 1447.

A. C. 1447. Immoritur rebus feliciter gestis III. Idus Julii Rudolphus Einsidlensis Abbas, Joannis Comitis Saxi & Mersaui Domini, atque Annæ Comitissæ Werdenbergiæ filius, pacis supra memoratæ præcipuus apud Helvetios concinnator, cujus magno labore, & præcipua auctoritate Confæderati persuasi sunt, pacem & quietem præ bello æstimare. Successit communi Patrum suffragio Franciscus Liber Baro Hohen-Rechberg.

Rudolphus  
Abb. Einsidl.  
moritur.

Successit  
Franciscus.

A. C. 1448. Suburbium Constantiæ Petrusianum vallo fossisque circumambitur & communitur ab Rheno ad lacum usque Acronium, clauso classi & navibus introitu, si quid periculi & belli urbi immineret commissis ta-  
profunde solo arenoso trabibus ferro obarmatis. Sed & alia, bono publico, pro defensione Urbis ordinata.

Urbs versus  
lacum muni-

A. C. 1449. Friderico Imp. Pseudo-Concilium Basileense damnante, & Nicolai legitimi Pontificis causam & cultum pro viribus promovente, Felix Antipapa Pontificatum abdicat, suamque solitudinem repetit, Cardinalis titulo à Nicolao donatus & Legatus Apostolicus nostræ Dioceseos, nec non Basileensis, Curienfis, Lausanensis & Sedunensis renunciatus. Aliud molendinum Urbi commune Constantienses moliantur, quod equis in orbem actis grana excuteret.

Felix Antipa-  
pa sese abdi-  
cat.

A. C. 1450. Speculum mirabile conjugalis vitæ orbi præfert Beatus Nicolaus Sylvanensis, in hoc statu non minus, quam antea cœlibatu admirabilis visus, in quo decem optimæ notæ liberis, masculis quinque totidemque fœmellis à DEO donatus est, quos ad omnem sanctitatem educavit, & mirabili vitæ exemplo prævit, cujus utinam sacra inter labores domesticos exercitia, à consciis notata reperirentur, plurimis æternum profutura. Cudunt monetam hoc anno Constantienses certum pecuniæ genus, vulgo **Schilling** vocant, viginti octo ejusmodi florenum æquantibus. quos & Ludovicus Wirtenbergius & Ulmenfis civitas imitantur.

B. Nicolaus  
Sylvanensis.

Moneta cu-  
ditur.

A. C. 1451. Pestilens lues toto passim orbe grassatur, nulla omnino provinciâ exceptâ, cujus metu Consistorium, ut vocant Ecclesiastici, Constantiâ, Episcopocellam transfertur. neque tamen lego hoc tempore multum Urbi nostræ nocuisse, forte ad Patrocinium sancti Rocchi, tempore Concilii sibi admodum salutare & comprobatum, confugiendi.

Lues pesti-  
lens.

A. C. 1452 Episcopus noster Henricus, cum hucusq; & Curienfis simul & Constantiensis Episcopus esset, sive ut Nicolai Papæ & Concilii decretis pareret, sive ut odio & invidia se liberaret, Curienfi Episcopatu sese abdicavit. Ipso anno Porta Urbis nostræ, quæ Creüzligenfis dicitur cum turri adjacente maximæ molis è quadrato lapide eleganter struitur, cumq; diuturna & profundissima terræ effossione necdum firmitas soli fundamento apta se

Henricus  
Episc. Curien-  
fis.

*Ancientissima  
rudera.*

proderet immani demum mole fornices & pilæ apparere, maximi pontis, ita ut nemo dubitaret, alveum quondam Rheni illic constituisse, & quidquid supra eminebat, vetustioris Urbis & ædificiorum ruinas ac rudera fuisse, cum pleraque aggestum, calcis & lapidis essent, insignia monumenta Vetus-  
tissimæ Urbis, & plurimum facientia ad situs commendationem. Eodem anno Henricus Episcopus, cæteroquin non ita felix Oeconomus, emit seu redemit arces Güttingen & Morburg à Nobilibus ab Ehingen & Guottenauv, pro florenis sex mille & quingentis. Moritur Franciscus Abbas Einsidlen-  
sis Liber Baro de Rechberg, egregiæ humanitatis & bonitatis Princeps, designato quamprimum à Patribus Geroldo successore Saxi Comite & Me-  
fauci Domino, tunc temporis S. Geroldi Præposito.

*Excidium  
Constantino-  
politani Im-  
perii.*

A. C. 1453. Annus hic longè memorabilis atque lamentabilis fuit Imperii Orientalis excidio, & gemellæ cum nostra, Constantinopolis post quinquaginta dierum quassationem expugnatione. cum Mahometes eo nomine Secundus, alterum Romanæ Aquilæ caput amputavit, & in Urbe illa ultra quadraginta hominum millia, eosq; inter Constantinum Palæologum ultimum Græcorum Imperatorem, interemit. luctu illo ad omnes quidem Christianos, urbem tamen nostram ob communes Conditores & nomen  
pertinente. apud quam longe felicius & Conditoris nomen, & insignia Crucis usque hodie perennant.

*Aedes Tribu-  
nitia.*

A. C. 1454. Constantiæ publicæ Tribunitiæ Ianionum ædes splendide exstruuntur, in platea, quæ à latronibus (cujus notionis rationem supra posuimus) cognominatæ sunt. Tribunis & plebe continuo rem suam contra Nobilitatem Stabilientibus, magnamque sibi auctoritatem conciliare studentibus, ac paulatim Sectariorum Libertati viam sternentibus & præudentibus. Dum plurimis locis malignitate temporum rigor discipli-  
næ monasticæ remittit, Virginis verè Viragines, illi fulciendæ plus quam vi-  
riles conatus generosè adhibent. è quibus Agatha de Stadion nobilissimi generis Abbatissa in Hegbach Diœceseos nostræ Monasterio, felicissimè rem egressa, mediis in conatibus morte intercipitur, imo cælo matura cum plautu excipitur, prosequente conatus Elisabetha Kröllin de Grimmenstein quæ successerat, cujus exemplum plures dein Heroinæ sunt imitatæ.

*Virgines Vi-  
ragines.*

*Hegbach re-  
formatur.*

*S. Wiborada  
elevatur.*

A. C. 1455. Henrici Episcopi Constantiensis permissione & mandato sanctæ Wiboradæ Virginis, Sanctimonialis, & Martyris sacrum corpus, ad Divi Galli, solemniter elevatur, cum plurimis miraculis merita ejus & vitæ sanctitatem Numen comprobasset.

*Cometes.*

A. C. 1456. Horribilis Cometes, integro mense æstivo tempore orbi menatur, variis duinceps belli motibus Germaniam graviter concutien-  
tibus & affligentibus.

A. C. 1457. Gliscit denuo bellum Helveticum, Episcopo nostro Henrico pacem quam maximè fovere, sed frustra allaborante. & Rapersvillæ initium, dum, ut fit quietis rebus, homines iniqui aliquot, confœderatis melius affecti, quam Principi, studia sua palam confessi, ab aliis proditi, captivi quam primum in Tirolim abriperentur. quæ res indignior viâ Helvetica libertate, etiam illos, qui Principis antea studebant partibus graviter offendit, & ab illo penitus avertit.

*Bellum Helveticum.*

A. C. 1458. Ridicula belli causa, efferatis gloriosa imaginatione omnimodæ Libertatis populis. Nundinæ anniversariæ solemnnes agebantur Constantiæ, maximo, ut solet, vicinæ concursu Helvetiæ. Hujus nonnemo rusticorum ab sutore par calceorum coemerat, cumq; inter reliquum pecuniæ genus recens proscriptæ notæ nummum, in Helvetia cusum adnumeraret, & tanquam sibi inutilem recusaret sutor. alter instaret, iste probum, reprobum ille assereret, & satur demum contentionis sutor Vaccinum esse nummum diceret (*ein Ruohplappert*) mox clamor, mox rumor ingens, & Helvetiorum tota Urbe concursus maximus, injuriam hanc gentium libertariæ intolerabilem vociferantium, sutorem ad necem deposcentium, donec concursu etiam civium facto, ægrè vis & tumultus, cum totius civitatis discrimine, averteretur, Helvetiis minarum plenis ex Urbe se proripientibus, moxque arma tota Turgovia, inde reliqua Helvetia conclamantibus, quæque civium & Nobilium in Urbe degentium erant castra & bona omnia deprædantium & vastantium, collectisque copiis urbem aliquamdiu sed frustra obsidentium. Nec destitere ab injuriis, donec has minore sumptu redimi posse censerent cives, quam tolerari, certam pecuniam paciscerentur, furoremque rusticum averterent.

*Ridicula belli causa.*

*Contentio duorum.*

*Tumultus ab Helvetiis.*

*Urbs obsidetur.*

*Bellum redimitur.*

Mox concitatores, superioris anni injuria, ut dicebant, ab Archiduce Rapersvillensibus illata, iidem qui Urbem obsederant Uranii, Suitii, Silvani & Glaronenses, specie transitus intra mœnia Rapersvillæ admissi, oppidum in fidem acceptum suæ clientelæ fecerunt.

A. C. 1459. Iterum efferatior, Pii II. ut fama fuit (ait Hartmannus in Annalibus Heremi) adversum Sigismundum Archiducem indignatio fecit, qui ipsum communionem Piorum privavit, & *Confœderatos, ad bellum inferendum Duci, tanquam rebeli Ecclesiæ cohortatus est:* cum Archidux Cardinalem Cusanum Brixie Episcopum, jura sui Episcopatus tuentem, in custodiam conjecisset. Ipso anno Archidux Sigismundus Constantiam venit, magno plausu civium exceptus, quam pompam prolixè describit Ventura de Perusio Pontanus, ad Stephanum de Nardinis, & civium militarem generositatem mirifice commendat, ut & matronarum honestatem. Refert etiam in occursum Archiducis Viros Sacros venisse (Cathedralis procul dubio templi) cum SS. Reliquiis, è cuius verbis, quæ subjicere visum est.

*Idem Constantiam venit.*

## CHRONOLOGIA

326

*Pompa per Urbem.* est, colligas, necesse est, quantus Ecclesiæ Constantiensis splendor fuerit, priusquam Hæreticus furor, omnia a vitæ pietatis monimenta sacrilega licentia dissipasset, & dum in ulus proprios, suæ fortunæ perniciem, convertisset: Tum omnes, inquit, lustratione peractâ, ad templum rediimus, comitantes tot præclaras Reliquias Deorum (Divorum) quas per urbem portaverant. Ignoro an usquam terrarum res tam sumptuosa, tamq̃, præclara & magnifica possit inveniri. Tot enim vasa argentea, tot tabula aurea atq̃, Deorum simulacra, tot arcula Reliquiis plena elaboratæq̃, ut Polycleto ac Phydia non cedant. quibus tot infixi sunt amethysti, adamantes, berylli, smaragdi, ut non ignotis modo, sed notissimis summam pariant admirationem. Obstupuimus tum primum, cum thesaurum illum & supellectilem tam insignem conspeximus, admirantes quodammodo, undenam tantum auri atq̃, argenti, & pretiosarum gemmarum cogi potuerit? Celeberrima profecto res est, & prædicatione dignissima. Que omnia quantum nobis iucunditatis attulerint, nec lingua quidem possit explicari, &c. Ita Romanus iste Romano, & tunc quidem ad Archiducem legato, ne putes ruri natum & educatum, nihil aliâs dignum vidisse admiratione.

*Thesaurus Ecclesiæ.*

*Eucomiastes fide dignus.*

*Conventus Constantiæ.*

*Cæsar Constantiam venit.*

*Moritur Henricus Episc.*

*Epitaphium & Episc.*

*Burcardus Episc.*

A. C. 1460. Helvetiis Sigismundum Archiducem eversum cupientibus, & Vitodurum gravi obsidione cingentibus Kyburgoque hostiliter imminetibus, indicto Constantiam Conventu nomine Cæsaris Ludovici Elector Palatinus, Pacem Archiducem inter & Confederatos feliciter conficit, & inducias annorum quindecim evincit. Post Gervvicum à Simmeringen Campidoni Abbatem Joannes à Werdnovv Princeps salatur.

A. C. 1461. Ipse occurrens Constantiam Fridericus Imperator pacem cum Helvetiis confirmat, & Principem Pacis toto Imperio agit, quieti publicæ plurimum studendo.

A. C. 1462. Vita excedit Henricus Episcopus noster Constantiensis, Liber Baro ab Hövven, uti habet sepulchri inscriptio, in Sacello prope Confistorium Sacri Xisti Cathedralis, ubi Henricus juxta Burcardum Antecessorem suum & consanguineum sepultus est, hisce ipsissimis Mausolæo insculptis:

*Vita sancti Reverendissimi Domini de Heroven Burcardus  
Anno 1398. & Henricus 1462. Episcopi Constantienses,  
hic pie quiescunt. Amen.*

Ut videas plurimum aberrare, qui mortem ejus ad annum usque 1472. differunt. Successit unanimi Canonicorumque suffragio Burcardus eo nomine Secundus Dynasta de Randeck Princeps in omni vita modestissimus, & humanissimus.

A. C. 1463.

A. C. 1463. Turbata diutinis præliis, & nimia Libertatis affectatione Helvetia, multum sui dissimile S. Galli Archisterium tantis calamitatibus tantum non pessum hit; nec potuit fieri in tantis concussionibus quin labefactata disciplina magnus ille Sanctitatis splendor, obscuraretur non-nihil; donec modo quiescente tanto post patria, exoptatissimâ in quiete Benedictinus se spiritus proderet, & ad paria Majoribus studia Benedictinorum animos exsuscitaret. Id nunc factum Gaspare à Breiten-Landenberg Abbate, Udalrico quam maxime S. Galli Administratore rerum satagente, cujus merita tanta omnino fuere; ut maximis non solum Dicoeseos, sed Germaniæ universâ, totiusque Benedictini Ordinis syderibus sit accensendus.

S. Galli resti-  
tuitur.

Udalricus  
Administrat-  
or.

A. C. 1464. Nec minus spectatus auctoritate & meritis Geroldus Einsidensis Abbas & Princeps, multâ ob hoc ipsum in gratia apud Pium II. Pont. Max. hoc ipso anno centum equitum ornatissimo comitatu, sui amantissimum Pontificem convenit, multa pro Monasterio suo & DEL-para cultu promeruit, de omni sacra meritissimus posteritate; quem à morte Pii ex Italia reducem, sacra Eremus, non aliter atque delapsum cælo genium patentibus campis, solemnissima pompa ingenti congratulatione excepit.

Geroldus  
Abb. Einsid.

Ex Italia re-  
vertitur.

A. C. 1465. Luctuosissimus Einsidensi Cœnobio hic annus est, tristissimo & perniciosissimo incendio, quo, quidquid non ex lapide erat in cineres abiit, præter laquearia sacri Sacelli, quæ magno miraculo medios inter ignes, intacta à flammis perstitere, cætera omnia, cum supellectile sacra & profana, aureâ, argenteâ, librariâ igne sive absorpta, sive liquefacta sunt, summo incommodo Religiosorum, accedente malorum malis pessimo, eorum qui Advocati dici gestiunt, sacrilega eorum quæ superessent siti, quasi quæ DEO devoverentur, Advocatorum, non DEO sacrorum & devotorum essent; ipso summo Pontifice libidini illorum, sed frustra, obnitate, cum optimus Abbas & Princeps odio Suitensium inviscerato cedendum rarus, maluit suo cum incommodo exulare, quam injurias profanorum sufferre, ne hisce consensisse videretur, ad S. Geroldi Vallis Drusianæ Cœnobiolum sese recipiens, Conrado Barone Rechbergio Vicario constituto.

Incendium  
Einsidense.

Nullum solum est ma-  
lum.

Exulat Gerol-  
dus Abbas.

A. C. 1466. Incredibili bonorum omnium dolore moritur Burcardus Episcopus noster, dum in mediis conatibus esset, Episcopatum ab omnibus debitis vindicandi, & nemo non esset, qui id ipsum ex animi sententia felicissimè confecturum opinaretur. Fuit Oeconomus felicissimus, Princeps mansuetissimus, vir valde religiosus, Capitulo ut vocant, totique non minus Urbi gratissimus. Mirum autem est, ita in diversa abire scriptores super anno e jusdem obitus, cum sepulchralis lapis extra Chorum Cathedralis Basilicæ, versus Palatium Episcopi, illud ita distincte & clare doceat:

Burcardus  
Episc. mori-  
tur.

Burcardus

*Epitaphium  
ejusdem.*

*Burcardus de Randegg Constantiensis Episcopus,  
obiit anno 1466. 13. Aprilis cujus anima  
requiescat in pace.*

*Hermannus  
Episcopus.*

Succellit communi omnium voto & gratulatione Hermannus eo nomine Tertius de Breiten-Landenberg, Decanus Cathedralis vir religiosissimus, & insigni clarus Nobilitatis prerogativa.

*B. Nicolaus  
Eremiticam  
amplectitur.*

A. C. 1467. Beatus Nicolaus Sylvaniensis, post longam deliberationem & cum conjuge sua tractationem, licentia & consensu ab hac impetratis, sæculo profusus, conjugiq; & charissimis liberis valedicit, mense Septembris, ætatis quinquagesimo cum 6. mensibus, & rigidissimum Anachoretarum Institutum summo plausu aggreditur. Verum cum procul abesse à patria vellet, & latere incognitus, à rustico primum communitus, inde Divino instinctu in patriam tractus, mira etiam visione confortatus, præter naturale suum jejunium inchoat, & in patria secretum & sejunctum ab hominibus locum sibi deligit, & inhabitat.

*Constantia  
Convenitur.*

A. C. 1468. Constantiam sæpius occurrit Fridericus Elector Palatinus, verè Pacis Princeps, & Confœderatis Waldshutem ad Rhenum armis subigere laborantibus, mediator intervenit, evocatasque Constantiam partes audiens, cunctisq; satisfaciens, ad æquas pacis conditiones inducit.

*Aedicula B.  
Nicolai.*

A. C. 1469. Increbescente fama sanctitatis B. Nicolai Sylvaniensis, accollæ prope aediculam ejus Sacellum collatis Symbolis exstruunt, & Hermannum Episcopum nostrum pro ejus consecratione conveniunt. Missus est Thomas Suffraganeus, Ascalonenis Episcopus, simul ut in vitam B. Nicolai inquireret, & ipsum examinaret, postquam jam sesquiannum, omni refectione humana abstinerat. Ita factū, & rogatus ab Episcopo Nicolaus, quanam gratissima Numini Virtus esset? Obedientiam respondisset, jussus, de industria allatos 3. panis bolos edere, & modicum vini bibere; exhorrescens, rogavit Episcopum, ut bolum unum in tres partes divisum sumere annueret. atque ita obsequutus, cum etiam modicum vini gustasset, ita repente debilitatus est, ut parum à morte abesse crederetur. Ita satisfactum Suffraganeo, & Episcopus id inaudiens, in Nicolaum deinceps plurimum affectus & beneficis extitit, & insigne par candelaborum cum pecuniæ summa eidem dono transmisit, quam ille illico ad sacros convertens usus, pratum in Sacelli & Sacellani usus futurum coemi jussit.

*Examinatur  
ab Episc. B.  
Nicolai.*

*Magni fit ab  
Episcopo.*

*Paulus II. In-  
dulgentias  
impertitur.*

A. C. 1470. Hoc anno Paulus II. Pont. Max. agnita B. Nicolai gratia & Numinis singulari erga ipsum benevolentia, Sacellum ejusdem, Sacris Indulgentiis affatim ditavit, & peregrinorum devotionem accendit. Confirmavit libenter Bullam Hermannus Episcopus, & ipse Indulgentias liberaliter addidit.

A. C. 1471.

A. C. 1471. Inter sydera Diœceseos merito computandus venit Hermannus à Breiten Landenberg Episcopus noster, eximia vitæ integritate, Sacerdos verè Magnus, verus pauperum pater, erga quos mirifice afficiebatur, consolator singularis afflictorum, erga quos omnes viscera effundebat solida charitatis. erga Venerabile altaris Sacramentum adeo devotus, ut postquam ad aras fecerat, sese semper recolligens, totus lachrymis difflueret. Decorem Dei sumopere dilexit, & multa quæ ad ornatum templi pertinent insigniter restaurari curavit. Dignus genere suo Pontifex, dignus Ecclesia sua, & cujus laudes æternum celebrentur.

*Hermannus Episc. celebrat.*

*Ejusdem merita.*

A. C. 1472. Udalrico post Gasparem extinctum, ex Administratore ad Principatum evecto, & Romæ confirmato, S. Galli de novo exsplenduit, opibus & dignitate crevit, & primævo Sanctitatis splendori restitui cœpit, ut expletum illud Veritatis manifesto exemplo appareret: *Querite primum Regnum DEI, & cætera adjicientur Vobis.* Ita facienti Udalrico, omnia ex animi sententia, quam felicissimè cessere.

*Udalrici Abbat. S. Galli laudes.*

A. C. 1473. Præmatura hoc anno omnia. Mense Februatio floribus jam passim comptæ arbores, exeunte Junio uvæ concoctæ, & ante Divi Joannis confecta messis, non ea quidem per siccitatem opulenta, at sufficiens. Cæterum tantus passim æstus, ut nonnullis locis, sponte exardescerent sylvæ. Octobri mense effloruere denuo arbores; cerasa ad festum Divi Martini sui idonea, cæteri fœtus ad maturitatem pervenire non potuerunt. B. Nicolai Sylvanij mirabilis vitæ ratio longè lateque deprædicatur. Ipsi Archidux Sigismundus nobilem dono mittit calicem ad usus Presbyterorum in Sacello ædiculæ ejus proximo Sacra facientium.

*Annus præmaturus.*

*Fructus duplices.*

*B. Nicol. fama*

A. C. 1474. Constantiæ insignis denuo Conventus celebratur, quo fœdus perpetuum inter Austria Archiduces & Confœderatos Helvetiæ sancitum fuit. Ubi etiam Ludovicus Galliarum Rex Regum illorum primus, cum iisdem Helvetiis fœdus iniit.

*Conventus Constantiæ.*

A. C. 1475. Hermannus à Breiten-Landenberg Episcopus noster, qua erat insigni prudentia, juxta summam vitæ integritatem, veritus ne per ætatem provectionem, & imbecillitatem minus ad onera Episcopatus toleranda sufficeret, adeoque aliquid negligi posset, insignem quemdam singulari eruditione, & prudentia suæ Ecclesiæ Canonicum Ludovicum à Freyberg sibi Coadjutorem adjungit, qui egregiè primum optimo Principi assistendo satisfecit; cæterum in spem adipiscendi Principatus erectus, clandestinè apud Romanum Pontificem sese insinuans, effecit, ut sibi à morte Episcopi, certa successio esset, Episcopo ipso nil minus cogitante, neque votis seu consensu aliquo Canonicorum rogato. ex quo magna deinceps subortæ calamitates.

*Hermannus Episc.*

*Coadjutorem assumis.*

*Hic fraude agit.*

*Bellum Burgund.*

A. C. 1476. Burgundici belli metus vicinos omnes terruit, Constantienses in rem suam attentos reddidit, dum Carolus Burgundus nimia arrogantia Princeps, Helvetiam totam spe devoraret, & Constantiæ vicinus adeo tumidus & ambitiosus suspexitissimus redderetur. Eluserunt tamen generose admodum ejus conatus Confœderati, & apud Gransonium & Moratum ita ipsum tractarunt, ut, si saperet, causas bellorum, melius pensare, & æquitatem bello præferre debuisset.

*Hermanni Episc. suprema.*

A. C. 1477. Hermannus DEO & hominibus dilectus Pontifex, intelligens quæ Coadjutor suus Ludovicus à Freyberg se & Canonicorum Collegio ignorantibus, Romæ impetrasset, supra modum contristatus, adeo acerbe sensit, ut paulo post in morbum incideret, quo etiam extinctus est, prius convocato Canonicorum Collegio, cui se facile purgavit, vir omnis doli & fraudis ignarus, seque coram DEO innocentem probavit, eo quod Ludovici technæ & molitiones sibi nunquam in mentem venerint. Sepultus est summo omnium luctu in Basilica Cathedrali Ludovico quamprimum sese Episcopum intrudente, Canonicis vero electionem maturantibus

*Excusat se Canonicis.*

& Othonem Comitem à Sonnenberg consalutantibus. Tantum effulsit hoc ipso anno absolutissimæ Virtutis opinione, etiam procul & in Urbe & Curia Romana, Udalricus S. Galli Abbas ut Pontifex ipsi Cardinalis eminentissimam dignitatem deferret, quam tamen ipse generosius recusavit, eoque ipso digniorem se comprobavit, contentus suas oviculas in viam perfectionis conduxisse, imo exemplo prævisse.

*Ulrico Abbati pileus rubeus offertur.*

A. C. 1478. Ludovicus ipse Romam profectus Sixto IV. super electione Canonicorum conqueritur, de novo confirmatur, jussu quamprimum cedere Othone à Canonicis electo, & Ludovico deferre. Verum Canonici, cum ipso lege & Jure agere decreverunt aperteque denunciaverunt, ipso deinceps sponte sese abdicare promittente, siquidem sibi Weingartense Cœnobium, pro Episcopatu concederetur. Instatque deinceps pro hoc

*Ambit. Canob. Weingart.*

vehementius, petensque ut instar Elvacensis nuper sic mutata in Præposituram Abbatia, ipse Præpositus, Monachi Canonici fierent; Gaspare Abbate opem Friderici Caf. & Sigismundi Archiducis implorante; his concordata Germaniæ Sixto Papæ objicientibus, & summa auctoritate sese opponentibus. Collisi denuo cum Helvetijs Austriaci, Maximiliano Archiduce cum illis fœdus inire exambiente, ipsis recusantibus.

*Nova dissidia.*

*Udalricus Heremita.*

A. C. 1479. Aliud se rursus in Diocesi nostra sydus prodit Beatæ memoriæ Udalricus Eremita, qui exemplo Beati Nicolai accensus, ipsis illum intueri & affari voluit, ac dein totum sese illic permisit, sub hoc ipsum tempus magnis virtutibus illucescens. Meruit idem precibus Magistri sui, ut tredecim dies noctesque absque ullo cibo & potu transigeret, Nicolao dein ipsi panem præbente, quem jussu ejusdem, ut obedientissimus discipulus,

*Obedientiæ exemplum.*

mandu-

manducavit. De cætero rigidus admodum sui corporis tortor existens.

A. C. 1480. Terribilis passim aquarum illuvies, plerosque undique fluminum pontes, evertit & abripuit, magna terris illata vastitate; *Exundatio.* majora passim damna ruina ædium, & pecorum mersione afferens, non sine omine vastandarum Helvetiæ provinciarum.

Pergit prosequi jus suum Ludovicus, & ejus loco ambire Cænobium Weingartense, connitente etiam palam Fratrem ejusdem germano Joanne à Freyberg Asceta Weingartensi, qui multum in aula Archiducis potuit, apud quem Gasparis Abbatis tanquam ignobilis raro exemplo inter Nobiles pralationem & electionem exambitam & cassam voluit; Gaspare, cum ab Archiduce nil porro speraret, Tigurinum opem implorante, qui acres Pontifici scripsere litteras, etiam armis defensuros causam Cænobii comminantes. *Ludovicus inquietus.*

Verum cum morte Ludovici tempestas & jactatio desit, Joannes autem cum ex Monacho Canonicus fieri non posset, Abbatiam tamen S. Georgij in Montibus Tirolis impetravit. Ludovicus Romæ, hoc ipso, velut alij volunt, anno 1484. mortuus, magno cum honore est tumulatus. *Tigurini Monachis patrocinantur.*

A. C. 1481. Optimè meretur de patria sua Helvetia, B. Nicolaus Sylvanienſis, ortamque gravissimam controversiam & contentiones inter Confœderatos, propter divisionem prædæ Burgundicæ (quæ maximis omnino thesauris constabat) magna ab sanctitatis opinione, auctoritate componit. cujus ejusdem suasionem Fryburgum & Solodurum, in fœderis ejusdem Societatem recepti sunt, cum multi antea diu ex confœderatis oblectarentur. *B. Nicol. paviae consult.*

Moritur eodem anno Geroldus Abbas Einsidlensis ex Comitibus Saxi Mefauci Dominis, in Præpositura S. Geroldi, quo se ex tædio oppressionis Suitiorum receperat, ibidem tumulatus, à cujus morte, auctoritate maximi Udaltici Abbatis Sangallensis Conradus Baro de HohenRechberg, Abbas & Princeps consalutatur. Ipso anno obiit Laurentius Rhenovienſis Abbas nobilis de Reifcha, succedente Joanne Conrado de Griessen. *Gerold. Abb. Einsid. obiit.*

A. C. 1482. Pestilenti vexatur Germania & Diœcesis nostra, nihil tamen de Constantia nostra Annales memorant, advigilante sedulo Magistratu nequid periculi à suspectis locis Urbi inferretur. & medicis mature præferativa antidota dictantibus, ex qua industria benè institutæ Respublicæ, comprobantur. *Luas pestilens.*

A. C. 1483. Elevatur solemniter in Monasterio S. Galli, corpus ejusdem sancti Tutelaris, in magno concursu populi, pro cujus devotione & solatio, aliquot diebus conspicuum universis mansit expositum, quod dein debito cum honore splendidius curatum fuit. *S. Galli solis elevatio.*

A. C. 1484. Constantiæ, totoque lacus Potamici, quin & Tigurini ac Rheni fluminis tractu, tanta multi seu vini copia lecta fuit, ut plerisque locis *Incredibilis vini copia.*

tantum vini, quantum vasa vacua quæ petebantur capiebant, pro vasis largirentur. Multis, præconis voce vinum in eleemosynam, cuiuslibet petenti promittentibus, & dantibus.

*Eclypsis terrifica.*

A. C. 1485. Solaris Eclypsis meruenda fuit, cooperto syderis toto corpore (horrendum!) & tenebris per diem, nocturnis densioribus, horæ quartam partem, plerisque ad rem, vulgo inopinatam maximè attonitis, confusis & trepidantibus.

*Libertatis licentia.*

A. C. 1486. Invalescente ex nimia Libertatis semel partæ apprehensione licentiâ, cum qui hæctenus rerum jure Divino & humano potiebantur, ne de reliquo quidem quin & de vita securi essent, religiosissimus & prudentissimus Princeps, Udalricus S. Galli Abbas, Domum aliquam Refugij (si, ut sæpius contigit, domi suæ cum sacris filius securus non esset) condere statuit, in quam everso & incenso S. Galli Cænobio, uti quotidie minitabantur rebelles, sese cum suis reciperet, licentiam condendi Cænobii in sua propria Jurisdictione à Cæsare Friderico rogavit, & impetravit.

*Moritur B. Nicolaus Sylvaniensis.*

A. C. 1487. Cœlestis splendoris, sydus mirificum, cœlum hoc anno terris & Diœcesi nostræ eripit, Beatum Nicolaum à Flue Sylvaniensem, incredibili Cœlitum plausu, mortalium luctu ipso Monachorum omnium Archiducis Divi Benedicti festo, quo & natus erat Nicolaus. Decessit anno ætatis 70. ipsa obitus die absoluto, & sepultus est in Ecclesia Parochiali in Saxlen, ingenti hominum concursu facto, cunctis qui aderant infirmis prodigiosè sanatis. cui non nemo ad effigiem cupio incisam & exculam sic parentavit.

*Miracula plura.*

Nicoleos hic est, inpransus & incœnatus

Qui solus quinas vixit Olympiadas.

Helveticæ cautes & conscia faxa loquantur,

Quot biberint lachrymas audierintque preces?

*Expectatio Fidelium.*

Tali insigni sacratissimi corporis thesauro beata etiamnum est Diœcesis nostra, nec sine impatientia, juxta summum desiderium expectant infiniti fideles, debitos ipsi tanto DEI servo & Amico honores, ab iis quorum interest, designati & deferri.

*Convencus varij.*

A. C. 1488. Invalescente nimium ex prætextu libertatis Helveticæ alieni appetentiâ, & contemptu oppressioneque sua repetentium, Constantiæ & diversis etiam aliis locis Convencus celebrati, quibus adversum Confœderatos Helveticæ, Confœderationis Suevicæ hoc anno initium factum, diversis Episcopis, Abbatibus, Comitibus & Equestris Ordinis Heroibus nomen certatim dantibus, quod Helvetiorum exemplo, & forte etiam incitamento, plures ejusmodi Libertatis licentiam affectare videntur.

*Confœderatio Suevica.*

A. C. 1489. Magna operarum contentione prope Rorschachium, an-  
nuente ut supra diximus Cæsare, insigne molitur Monasterium Udalricus  
Abbas & Princeps S. Galli, in fundo proprio, nullius mortalium cum inju-  
ria, sed neque ut suspicari quisquam posset, moliri munitionem aliquam, re-  
bellibus tamen (præludente sequutura paulo post ab avita etiam fide apo-  
stasia) freudentibus, & sine causa quiritantibus, qui jam tunc tot rei faci-  
legiorum, sine Religiosis, Sacerdotibus & Sacrificio vivere Libertatis soli-  
da punctum esse sibi persuaserant Udalrico nihilominis cæptis optimis  
insistente; illis paulo post nequissimo ausu jam pene absolutum subruen-  
tibus.

*Rorschachense  
Monast.*

*Subruitur  
Monast. Ror-  
schachense.*

A. C. 1490. Fuere nihilominus è Confœderatis, qui factum hoc indi-  
gnissimum & injuriosissimum attendentes, ulciscendum existimarent. pro-  
in interpellati ab Udalrico Abbate Tigurini, Lucernenses, Suitij & Glaro-  
nenses, collectis copiis oppidum S. Galli obsidione cinxerunt, coegerunt-  
que altera die deditioem facere, veniamque & pacem precari; qua sta-  
tim concessa, & hujus conditionibus paulo post dictis, magna omnes pec-  
unia multati sunt, & Abbacellani, qui sceleris collegæ erant, Rhegusca  
ditione exuti; Udalrico quamprimum Monasterium de novo restau-  
rante.

*Ulciscuntur  
scelus confæ-  
derati.*

*Restituitur  
Monast.*

A. C. 1491. Iterum sydere illustri terra & Diœcesis nostra à cœlis ex-  
spoliatur, evocato ad sydereas mansiones, Beatæ memoriæ Udalrico Here-  
mita B. Nicolai discipulo, viro eximiæ Virtutis; quem à morte multis mi-  
raculis devotioni fidelium commendavit. Extinguitur eodem anno  
Ottho Episcopus noster Constantiensis Comes à Sonnenberg è familia  
Dapiferorum à Waldpurg. doctrinæ præstantia non minus quam generis  
nobilitate Illustris. Sepultus est in Sacello à se condito juxta Chorum  
Cathedralis Ecclesiæ. Dissensere primum in Electione novi Pontificis  
Canonici, aliis Baronem ab Höwen, aliis Thomam Perloverum Unga-  
rum, suum Cathedralem Præpositum, eligentibus, mox tamen in istum  
honestissimæ vitæ summæque eruditionis hominem omnes consensere; qui  
pro suis in Fridericum III. Imp. cui ab arcanis erat, & in Maximilianum I. cui  
ab institutione se commendaverat meritis, Præpositura Constantiensi do-  
natus fuerat. qui tamen diu tergiversatus, quod Episcopatum nimium obæ-  
ratum nosset, quatuor hebdomadam & trium insuper dierum deliberando  
tempus exegit, & precibus denique acquievit, Cæsare & Pontifice Rom.  
Regalia & Confirmationem, ultro, & gratis omnino, eidem conferentibus,  
cum ipse Romam sese contulisset. Sed & Udalricus Abbas S. Galli moritur,  
secundus Monasterij Fundator appellatus.

*Moritur B.  
mem. Viricus  
Eremita.*

*Item Ottho  
Episcopus.*

*Thom. Episc.*

*Confirmatur  
Episc.*

Annò C. 1492. Maximilianus I. Imper. Constantiam maximi faciens  
quam magnis rebus gerendis oportunitissimam noverat, hoc anno ibidem

*Comitia Con-  
stantiæ.*

- solemnissima celebrat Comitia. In iis conqueritur super injuria & contumelia Caroli Galliarum Regis, sponsæ suæ raptoris, & sese ulturus, opem & auxilium efflagitat, Principibus turbato cæteroquin statu Imperii, tanti nominis hostem irritare recusantibus, & auxilia negantibus. Eo quoque evocati Helvetij, rogati sententiam, Summi hac in re Pontificis officium & decretum esse dixerunt; quasi sacris Regem interdiceret, suum erga Cæsarem auxilium nunquam defuturum.
- Helvetiorum sententia.* A. C. 1493. Thomas Perloverus à Cilia dictus, insigni frugalitate modestia & industria desperatis pene Episcopatus & Ecclesiæ rebus insigniter consulit, sed & disciplinæ Ecclesiasticæ magno fervore intendit. cui tamen vitio à nonnullis datum, quasi avaritiæ studeret, quodque crumenæ parcendo, mentum sibi ipse & caput raderet. Id ipsum, nonnemo retulit, cum Romæ faciens subitum ad Pontificem vocatus, novacula læsus, cæferi & rideri metueret, cera liquefacta cicatricem oblinisse. Certe Episcopus laudatissimæ vitæ extitit & omni modo allaboravit, ut Ecclesiam suam debitorum onere prægravatam liberaret.
- Thomæ Episc. frugalitas.* A. C. 1494. Monetam auream, vulgo ducatos, cudunt Constantienses altera parte bicipiti Aquila Imperii, altera pomo Imperiali, insignitam, cum inscriptione nominis Maximiliani I. Imp. Augusti.
- Constantiens. Aucari.* A. C. 1495. Ansignibus miraculis honorata à Numine S. Idda Tockenburghi & Kirchbergæ Comitissa Monialis Fischingensis in Monasterio tamen Virorum ibidem condita, ab Henrico Abbate tumulo oratione excolitur. cui hoc ipso tempore magno Diœceseos ornamento & peregrinorum solatio, vitam tantæ Tutelaræ à se descriptam Albertus de Rohrstetten dedicat.
- B. Idda Fisching.* A. C. 1496. Thomas à Cilia optimæ notæ Pontifex, postquam egregiè Ecclesiam nostram demeruit 25. Aprilis Festo S. Marci Evangelistæ, piè in Domino requievit, sepultus magno cum honore in templo Cathedrali. cui eodem anno succedere communi calculorum voto iustus est Hugo de Landenberg ab Hohen-Landenberg summi Collegij Decanus & Præpositus Erdfordiensis, nobilitate & antiquitate generis inclutus, prudentia humanitate omnique virtutum genere cultissimus, Heroica insuper corporis statura, proceritate & majestate, omnibus Germaniæ Principibus eminentior & spectatior, ita ut nemini non ad summa natus, verendus & venerandus videretur, eruditorum insuper cultor singularis, dignissimus qui ab omnibus amaretur.
- Ejusd. vita.* A. C. 1497. Præfectus Turgoviæ, adjunctis sibi auxiliariis Suitensium & Uriensium copiis Constantiam inopinate, quo securior erat invadere & occupare decreverat, à Tigurinis tamen optimè tunc erga Urbem nostram affectis, nequid moliretur serio monitus & impeditus est. Quæ causâ Con-
- Thomas Episc. moritur.*
- Hugo Episc.*
- Ejusd. laudes.*
- Constantia periclitatur.*
- stan-

stantiensibus, re comperta fuit, ut hoc statim anno Confœderationi, de qua supra, Suevicæ nomen daret.

A. C. 1498. Rhætiis frustra ad fœdus Suevicum invitatis, cum hi, quod cum Habsburgiis de finibus contenderent, cum Helvetijs fœdus perpetuum fecissent, Suevi novo celebrato Conventu Fœdus iterarunt, & confirmarunt, pluribus Episcopis, Dynastis & Urbibus nomen dantibus. Unde magna deinceps rerum confusio & sanguinis humani effusio consequuta est.

A. C. 1499. Constantiæ initio hujus anni Comitia solemnia, magno Principum concursu celebrata, actumque de Helvetiis bello invadendis, neque Cæsari Maximiliano visus est oportunior locus Constantiæ, unde Helvetia feliciter cogeretur.

Occurrit ipse Constantiam Cæsar, omnemque movit lapidem, ut, quo valebat, ingenio maximo, âtor acceptam annis injuriam & contumeliam Majorum ulcisceretur, quæ plurimi tanto tempore mansisse inultam & mirabantur, & querebantur. Sed aliter Numini visum, quod etsi rebellium, â primo defectionis tempore, prætextus minime probaret, ulciscenda tamen suscepit, quæ in innocentes Ministrorum intoleranda licentia & crudelitas peccaverat, & Jus suum in terras æquè ac cœ-

lum, in Principes æquè ac subditos exercendo, Dominum se esse ac Regum Regem demonstravit. Cantatum proin JO solemnne ante triumphum est, & qui ulcisci suorum necem paraverant, ipsi neci dati; maximo Urbis nostræ incommodo & ruina, in qua belli sedes, & juxta belli consilia, etiam fulmina parabantur. Die ergo octava decima Aprilis, Wolfgangus Comes de Fürstenberg Cæsareanarum Copiarum Dux, cum octodecim millibus Constantia egressus, cum audisset Helvetiorum septem millia in valle

Rhenana subsistere, alios domi quosque suæ in armis stare, versus Ermatingen & Tribeltingen pagos monet, ipso adhuc manè propugnatores ejicit, locorumque illorum violenta manu potitur stationibus; alios dein aliosque vicos occupat, excubitores proffigat.

Verum cum opima jam præda in urbem reversurum, quindecim Helvetiorum millia in loco, qui dicitur intercipiunt, armisque subito dispersos aggressi, bismille quingentos, eosque inter centum triginta Constantienses eo ipso loco contrucidant, reliquos campo exagitant, & ad prima usque Urbis munimenta insecuti propellunt, octuaginta quatuor in ipsis fossis demersis.

Potiti ingenti præda sunt Helvetii quæ inter tormentorum curulium magna vis, diversarum urbium & maxime Constantiæ; quæ maxima deinceps ex ea clade damna sensit, & maxima semper deinceps odia vicinorum.

Sed & aliis quaquaversum pugnis, etsi diversissimis fortuna ubique Cæsareanis adversa fuit: ita ut denique de pace Cæsar cogitare cogeretur, cum plerique Principes auxilium animadverso periculo, domum quisque suam repeteret; & pax denique

22. Septembris die Basileæ componeretur.

A. C. 1500. Ita longè à se diversus, hoc, à priore anno Cæsar Maximilianus Fœdus Hæreditarium cum Tigurinis, Bernensibus, Tugiis & Solodorenensibus renovat, Constantiensibus diu post jacturam & suam & Amicorum dolentibus, manifestoque edoctis, quanto præstaret, quod olim fecerant, pugnas eminus intueri & sua defendere, quam cominus conferere, & causas alienas suas facere.

*Bacij primum cusi.*

Constantienses primi monetæ quoddam genus cudunt, quod bacios appellant, quindecim florenum æquantibus, quod cæteræ dein Imperii urbes imitatæ sunt.

*Barnabas C. de Saxo.*

A. C. 1501. Moritur insigne Diœceseos Decus Barnabas Comes de Saxo Einsidlensis Asceta, & rerum ibid. pro Principe Conrado Barone de Reichenberg Administrator seu Curator, quod munus magna cum laude gessit, tantoque majore, quanto difficiliore tempore, per annorum sterilitates perpetuas, & clades patriæ continuas; ipse tolerantia rerum arduarum insuperabilis, & qui solus pondus diei sustinuerit & æstum.

*Lues pestilens.*

A. C. 1502. Pestilentia sævissima grassatur ob præteritorum maximè annorum famem & inediam. & hoc quoque tum notatum, in eos potissimum sævuisse, qui anno superiore, crucibus prodigiosis notati fuere.

*Conventio quedam.*

Ipsò anno Ulmæ conventio quædam instituitur & initur ad annos viginti duos inter Constantiensem Urbem & Austriacos.

*Cruces prodigiosæ.*

A. C. 1503. Iterum hoc anno prodigiosæ Cruces in vestibus animadvertis, & nonnullis in locis etiam in pane. cæterum annus hic demum fugifer pauperibus obvenit, pane & vino, vilissimo pretio comparabilibus, pestilenti tamen lue tota Germania grassante.

*Ioannes Abb. Angelomont.*

A. C. 1504. In Monasterio Angelomontano Helvetiæ Joannes Ethon Abbas, in difficillimis temporibus sibi semper constans multis generosè ex anthlatis laboribus, ad requiem felici morte transit succedente Barnaba Bürckio de Altketten, viro incomparabili, & inter magna sydera Diœceseos numerando.

*Barnabas successor.*

Iterum annus macer & inops, fame passim tantopere laboratum, per Helvetiam inprimis, ut ob egestatem contabescuntibus omnibus penè Colonis, decissent, qui terras colerent, & dum victu uterentur homines insolito, morbi quoque insoliti, juxta pestem invalescerent.

*Cæcilia Sylvanienfis.*

A. C. 1505. Illustrissimum denuo Diœceseos lumen inter tantastemporum tenebras, Helvetiam illustrat. Venerabilis Cæcilia Sylvanienfis, Virago Generosissima, quæ imitatione B. Nicolai Heremiticam amplexa vitam haud longè à Beatæ memoriæ Udaltici Sacello, mirabili vitæ rigore sese

exercuit; & cum inferis scœmina congrédi ausa, Heroicos sæpè triumphos *monetriūphi* retulit. In qua perditissimo si unquam antea tempore, mirabilis DEUS

in omnibus operibus suis, nutante penè orbe universo, & per nimiam licentiam in præceps ruente, singulariter demonstrasse videtur, elegisse se infirma mundi, ut confundat fortia (I. ad Corinth. I.) quam etiam in tam rigido instituto, ita confortavit, ut inter Macrobios referri queat, discipula nimirum B. Nicolai concivis sui, ab ipso ad omnem vitæ perfectionem instituta, & ad singularem eremi pugnam exercitata, quæ post mortem ejusdem, quæ anno 1487. accidit, annis totis 78. ad annum usque Christi 1565. supervixerit.

*Discipula B. Nicolai.*

A. C. 1506. Cometes horribilis mense Augusto sese ostentavit, Septentrionem inter & Occidentem, ostentum mirabilium in orbe revolutionum, quæ paulo post affectata passim tota Germania à subditis omnimoda Libertas peperit, & inferis mortalium juratissimis hostibus occasionem præbuit, Religionis avitæ & Sacrosanctæ, per illam ipsam licentiam & inobedientiam, evertendæ.

*Cometes.*

*Libertas pe- silens.*

A. C. 1507. Maximilianus I. Imp. solemnissima Constantiæ Comitia celebrat, ad quæ universi ferè Germaniæ Electores & Principes convenere, quæ integrum fere annum durarunt. & in iisdem imprimis de Judicio Cameræ instituendo deliberatum, de bello item Venetis inferendo, qui cum Gallo contra Cæsarem conspiraverant, de itinere demum Cæsaris Romano, pro corona suscipienda. Ipso anno Joannes à Rietheim Princeps Campidonensis laudatissimus vitâ excessit, cui Joannes Rudolphus à Raistenavy, vir eximie eruditus succedere iussus est.

*Comitia Constantiæ.*

*Cause convocationis.*

A. C. 1508. Ingentibus terræ motibus Germania nostra horrendum concutitur, & paulo post, quasi apertis Inferi portis, Sectarum se variarum larvæ produnt, pastoribus, per longam quietem, securioribus, nemine ferè invalescens quotidie malum, ex contemptu ipso pastorum, & Religiosorum, animadvertente.

*Terræ motus graves.*

Hugo Episcopus noster Constantiensis, quasi præsciis malorum Urbi nostræ ab Hæresi impendentium, Marisburgensem arcem, Marckdorffensem item & alia loca magno sumptu restaurat, ubi pulsus aliquando Urbe, locum securè & sedem figeret.

*Marisburgensium restauratur.*

A. C. 1509. Tristissimum iterum annus Einsidlensi Monasterio luctuosissimo & Monasterii & pagi incendio, quod in domo fortè pistoris alicujus excitatum, totum illico vicum paucis horis absumpsit, & flammis vagantibus Monasterium etiam ipsum corripuit ac penè totum hausit, excepta Abbatia & paucis juxta ædibus, sacra præterea supellectile & omnibus reservatis ornateis & in tutum raptis V. Nonas Martii. (Hartmanni verba ponimus) Ferunt Abbatem Conradum, igne maximè faviente, in Sacellum Deiparæ ingressum, ad aram Virginis preces calidissimas fudisse, mox finita oratione elata voce, Deiparam compellasse, præsentem exitio

*Incendium Einsidlense.*

*Conradi Abbatis factum.*

*DE Ipſa  
aſſignata  
adium con-  
ſervatio.* Monasterium, & quæ in eo erant eripere dignaretur, ad ipſam omnia per-  
tinere, & quicquid perierit, ipſi periturum eſſe. Inde Sacello egreſſum, cu-  
rare cætera cæteros juſſiſſe, ſibi Abbatiam & ſuas circa ædes tuas & ſecuras  
adfirmare. Quod ut diximus evenit, omnibus vel quis ædificiis flamma  
corruptis, præterquam Abbatis Palatium, & quatuor Monachorum Ca-  
pitularium juxta ſitas ædes, & Capellanorum, quæ extra Monasterium erant,  
domibus ab ea clade ereptis.

*Præpoſitura  
in Wolffegg.*

A. C. 1510. Fundatur hoc anno Præpoſitura in Wolffegg à Joanne  
Comite de Sonnenberg Otthonis, nuper Episcopi noſtri Conſtantiensis ger-  
mano fratre, cum conſenſu Julii II. Pont. Max. & Hugonis Episcopi. Ipſo  
anno idem Hugo Episcopus noſter, commendatam ab inſigni metalli præ-  
ſtantia monetam erudit, pulcherrimo exemplo, bono publico magis con-  
ſulens quam proprio, multis è converſo & publico peſſimè conſulentibus,  
& ſuam cum honore ſalutem prodigentibus, & perdentibus.

*Deſectio in-  
ſercepta.*

A. C. 1511. Meditabantur Senatores, qui tunc Rempublicam guber-  
nabant ad Conſederatos Helvetiæ ab Imperio deficere, quod civibus &  
piſcatorum inprimis Tribui, Helvetico nomini minus affectis, cum inno-  
tuiſſet, interpellato Cæſare, trecentos ſubito impetravere equites, & in  
Urbem admifere; præcipuis deſectionis authoribus comprehenſis & capite  
quamprimum imminutis.

*Turris Cæthe-  
dralis ex ſta.*

Eodem anno tres apices, arte & ſublimitate inſignes, Turris magnifi-  
centiſſimæ Cathedralis, horriſico incendio, longe lateque conſpicio exuſta  
corruere, campanis præſtantiſſimis liquefactis, toto foro & area templi de-  
fluentibus, quod ominis loco habitum, cum deinceps Cathedralis Baſilica,  
& ſexcentæ Eccleſiæ, à deſertoribus avitæ fidei, plus quam hoſtiliter tracta-  
rentur.

*Einſidlenſes  
Exempti.*

A. C. 1512. Julius Pont. Max. anno Pontificatus decimo Conradum  
Abbatem & Principem Einſidlenſem, cum ſucceſſoribus ipſoque Monaste-  
rio omnibusq; ad id jure pertinentibus ad annos quindecim, ab omni Juri-  
dictione, poteſtate, correctione, ſubjectione & ſuperioritate Episcopi Con-  
ſtantiensis exemi. Præcipitantibus ſerè univerſis in deteriora, ipſis etiam  
Religioſis noſtræ Diœceſeos ſacris cœtibus, in laxitatem ab luxu reſolutis,  
Divini tamen Spiritus gratia ſemper ſcintillas hinc inde primævi ſacri fervo-  
ris reſuſcitavit, ita ut multa Cœnobia tanto magis fervere & exardeſcere in-  
ciperent, quanto magis alia tepelcerent, & tabeſcerent; Ita nunc zelus &  
fervor Philippi de Stein Abbatis Isnenſis, Henrici Fiſchingenſis, Barnabæ  
Engelbergenſis, Georgii ad S. Blaſium aliorumque ſeſe prodiit, magna  
omnium cum ædificatione.

*Periculum  
rei Chriſti-  
ana.*

*Reſuſcitatus  
ſpiritus.*

*Hugonis  
Epiſc. in-  
duſtria.*

A. C. 1513. Hugo optimus Episcopus, omnia conſilia & imperia  
ſuſque de que haberi, ſacra profanis, profana ſacris miſceri contuitus, cautior  
quotidie

quotidie redditus, & de eventuris sollicitus, præter domus refugii passim exstructas, sive necessariis instructas, optimum juxta Oeconomum agit, debita dissolvit, sollicitus etiam de successoribus. quibus, in tot Episcopatus pericula, nihil in thesauris relinquere, contra decus Sapientis & probi Pontificis esse existimabat, rerumque insigniter satagebat.

*Prudentia.*

A. C. 1514. Xysti varii, & ambulacra ad mœnia Urbis nostræ adjuncta, unde hostis, si quis Urbi immineret, facilius pelleretur & averteretur, sed & plura quæ ad munitionem loci pertinerent, curata. Hyems frigoris inauditiæ astas astu intolerando.

*Vrbs nostra excolitur.*

A. C. 1515. *Oraculum*, ut Annales loquuntur, & *miraculum* hujus temporis Barnabas Angelomontanus Abbas, acerrimi vir ingenii, excellentis doctrinæ, totius prudentiæ magnæ auctoritatis, exquisitissimæque virtutis ob rarum animi candorem, suavitatem & gravitatem morum, vitæ integritatem, artium liberalium, Philosophiæ inprimis & Theologiæ altam raramque scientiam, maximi passim factus, egregiis meritis illustrat Diœcesim nostram, in componendis maximè Helvetiorum controversiis dexterimus. verè lucerna ardens & lucens in tantis tenebris, tereterrimæ tempestatis celebrandus.

*Oraculum sui temporis Abbas Engelb.*

*Diffensiones consopit.*

A. C. 1516. Iterum Cometa malorum prænunciator orbi minatus est, & Germaniæ maximè nostræ, dissociatione, qualis nulla unquam fuit, inter homines, ex Scitarum nimia diversitate, exorta, Januarius ea serenitate fuit, ut Paschali festivitati, convenire vulgo diceretur. succedit etiam ubertas frugum, & vini inprimis generosi copia, qua abusi, ut solent Germani, iratum cæteroque Numen magis irritarunt, ut majorem partem ab ipsius gratia prorsum excidisse videantur.

*Cometa apparet.*

*Ubertas malorum causa.*

A. C. 1517. Insigne luminare è Diœcesi nostra ad Augustanam ejusque Cathedram postulat à morte Henrici à Liechtenauv Episcopi, Christophorus à Stadion, virtute non minus & eruditione quam genere illustis, qui miraculum sui temporis Episcoporum extitit, etsi gloriosius pauperum pater vulgo cognominaretur. Zvinglius æternum de decus patriæ suæ; insigni suæ ab infandis sceleribus infamiæ, pallium quærens; illuminatum à DEO se jactitat: omnes ad id tempus veluti infideles & paganos vixisse. Nec veritus os suum in cælum ponere hircus spurcissimus, Virginum Virgini imponere ausus, & asseverare, detrahi Numini quidquid illi honoris deferretur. Tale monstrum edidit primum Tockenburgia provincia, Glarona postquam persbyterum excepit execrata pestem est atq; expulit, Sacra DEIPARÆ Heremus biennium sustinuit, donec hoc ipso anno ipsa Angelicæ Dedicacionis occasione virus evomuit, quo deinceps nihil sanctius, ut & dulcius Tiguro fuit. Et plausibilia sua libertate nova Evangelii erant dogmata, quæ nihil interesse asseverabant, quid quisq; crederet, & perinde Platonem

*Christophorus Episc. Augustanus.*

*Zvinglii inicitia.*

*Patria Zvinglii.*

*Impium assertum,*

Aristotelem Hippocratem, Ovidium, Martialem ad æternam beatitudinem admissos esse. Et tamen tantæ blasphemix Author, purum DEI verbum sese dictate mentitus, multa centena millia paulo post securè in præceps duxit, etiam postquam periit, inter Patriarchas accensus, etiam postquam DEO ipsi & Magnæ hujus Matri, bellum omnemque hostilitatem denunciavit.

*Zyvinglius Blasphemus.*

*Lues pestilens grassatur.*

A. C. 1518. Populante Germaniam atroci pestilentia, multi è Viennensi Academia aliisque Gymnasiis in Helvetiam Doctores reversi & artium Magistri, in quibus Joachimus Vadianus S. Gallensis, Georgius Binder acuficis filius, & Schelerus chartarum lusoriarum opifice natus, Lutheri repositos per viam libros & coemptos patriæ intulerunt, quorum lectione confirmator & audentior Zyvinglius, multa deinceps nequiora molitusest, postquam pleraque Lutheri dogmata reprobasset, quæ primum ut sancta & puram putans doctrinam esse Evangelicam affirmasset. Hugo Episcopus noster, Petrusense Monasterium, subito pridem incendii casu, pene annullatum paterna providentia & charitate amantissimè fovet, & promotum ad Administrationem ejusdem Joanne Merck viro religiosissimo, tantum efficit, ut haud immerito uterque pro secundis Fundatoribus habeantur.

*Petrussum restituitur.*

*Prima concio Tiguri à Zyvinglio habita.*

*Miro plausu auditur.*

*Wolffeggensis Præpositura.*

*Constantiam pervadit Zyvinglianismus.*

*Atrocissima pestis.*

*Gervicus fit Abb. Weingart.*

A. C. 1519. Zyvinglius, præcipuus Dioceseos Constantiensis, ex parte Helvetiorum Anti-Apostolus, cum nulli non licentiæ, juxta quæsitam nuper libertatem, viam aperuisset, ipsas Calendas Januarias præsentis anni, infanda Oratione, contaminat, & non jam solum omnem Auctoritatem Romani Pontificis & Præsulum cæterorum disputat & Tyrannicam alleverat, sed omnes, Regum, Principum Magistratuum pensiones, tanquam inhonestas, sanguinarias & exitiosas damnat. Incredibili, ut facile imaginari est, populi concursu plausuque auditus, & pro magno deinceps Propheta & Legato Altissimi habitus. Georgio Dapifero Waldpurgio Foundationem Præposituræ in Wolffegg post mortem Joannis Comitis Sonnenbergii prosequente, sua confirmatio denuo prosequitur Hugo noster Constantiensis Episcopus; plurimum inde sibi gratulatus.

A. C. 1520. Insinuavit sese primis statim initiis in Urbem Constantiensem Zyvinglii assecularum turba nequissima, & quod pessimum, monente, rogante, obsecrante Hugone Episcopo, Patrocinium nequitix suscepit ipse Magistratus, è plebe, ut audivimus proscripta Nobilitate, electus. Comonuit amantissimum Numen cives periculi, & ut filios castigare cœpit, invalescente juxta Hæreses in ipsa urbe atrocissima peste, quæ tantopere desævit, ut nulla jam urbis Cœmeteria sufficerent, & amplissimum illud prope S. Jodoci in suburbio Stadelhofensi hoc anno construeretur. Mortuo Maximiliano I. Imp. priore anno subrogatus Carolus V. Hispan. Rex, nunc primum ad capessendum Imperium occurrit. Ipso anno mortuo Hartmanno de Burgovv è familia de Knöringen magni nominis Abbate, succedit in regimine

regimine Monasterii Weingarttenfis Gervvicus Blaarer de Girsperg, vir plane incomparabilis, & de quo deinceps multa dicenda veniant, patria Constantiensis.

A. C. 1521. Tantum potuit brevi consortio dum versatur in Heremo Deiparæ, ut libertatem, quam prædicabat, etiam loci curator seu Administrator pro Conrado Abbate Theobaldus Baro Gerolzeckius, præ rigore Monachi, co plausibiliorem sentiret, & vero etiam domi exercebat priusquam hoc anno Tigurum ad suum Apostolum Zvinglium concederet, sacrilego ausu, & propria deinceps sibi vendicans, quæ Monasterii, & Tiguri erant, & comprehensa Tigurinorum ditio. Istum Zvinglius miro *Theobaldus Apostata.* plausu, ut Cerberi faucibus ereptum excepit, & Civitas tanquam exemplar *Plausus Zvinglii.* sanctitatis coluit & suspexit. Hugone optimo Episcopo tam lugubres casus cum stupore aspiciente, nec prohibere valente.

A. C. 1522. Late grassatur pestilentissima Zvinglii lues, & Constantiæ, frustra reclamante Hugone Episcopo, altas radices figit & Nobili- *Hugonis Episcopi luctus.* lium etiam aliquot pectora occupat, ita ut jam palam & Episcopo, & Clero minarentur.

A. C. 1523. Pestilenti per Alemanniam grassante lue eadem corripitur & extinguitur Joannes Rudolphus de Raittenauvv Abbas & Princeps *Sebast. Abb. Campid.* Campidonensis, in cujus locum Sebastianus à Breittenstein sufficitur. Moritur eodem anno Joannes cognomento Mayle, Fischingensis Abbas, patria *Ioan. Abbas Fisching.* Tockenburgius Zvinglii Hæresiarchæ consanguineus, qui cum hunc omnimodolucrari & ad saniora revocare conaretur, & nihil efficeret, in mœrorem nimium & mortem affectus 14. Augusti ad Superos migravit. Succesit Henricus Stall, cognomento Seebach Tigurinus.

A. C. 1524. Magnum Constantiæ lumen occidit, Joannes Merck Abbas Petrusii meritissimus, Hugonis Episcopi unicum solatium, rei Catholice singulare fulcrum, alter sui Cœnobii Fundator, quod à fundamentis in magnum splendorem restituit. cui Andreas Berlinus Constantiensis patria subrogatus est. *Ioan. Abbas Petrusii.*

Colloquio de Religione solemniter Tiguri instituto interfuit Joannes Faber Hugonis Episcopi nostri Vicarius Generalis, ab eodem Principe *Colloquium Tiguri.* missus, & nonnulli alii clara eruditione viri, sed adeo nihil contra Zvinglii versutias, tergiversationes & fabulas, scommata præterea, & ludibria profectum, ut anno sequenti.

A. C. 1525. Incredibili optimi Episcopi nostri dolore, Tigurini novam ab Apostata illo prolatam fictamque Religionem, juramento confirmant, & omnia fere veteris & melioris excindunt, multum contra indignantibus, scribentibus, & dehortantibus reliquis Confœderatis. Tum demum nequioris Monachioris Monachi & Monachæ, *Tigurini dæficiunt.*

*Apostatae plures.* mutuis sese conjugii copulavere, simul altaria & Baptistaria, Divorumque imagines, & cultus abolita, & dejecta. Disputatum eodem tempore Tiguri cum Anabaptistis, & Lutherus utriusq; novam famam veritus suæ obfuturam, Zvinglium & Oecolampadium, ne animas seducere pergerent scripto admonuit, seque, aut ipsos Sathanæ ministros esse affirmavit.

*Disputatio alia.*

Moritur eodem anno Conradus Baro de Rechberg Abbas Einsidensis; quocum etiam Monasterium quasi expiravit, cum nemo Ascetarum porro superesset.

*Constantia munitur.*

A. C. 1525. Constantienses effervescente conjuratione rusticorum & bello, fossas & valla Urbis restaurant, & pro virili urbem communiunt. Quo vero minus Respublica gravaretur, pecuniis expendendis, vicaria opera singuli per ordinem cives per medium diem gratis laborare jussi sunt à Magistratu. Cavebant autem non parum & metuebant sibi ab suburbio Petruhiano, cujus incolas intellexerant ab rusticis in societatem belli invitatos.

*Lapidei fontes.*

Ipsa anno lapidei per Urbem nobiles fontes exstructi sumptu publico, & intra sexennium absoluti.

*Bellum Rusticorum.*

Rustici tota Diœcesi, Helvetia excepta, prædas agunt, templa & Monasteria depilant; impunè aliquamdiu & sacrilegè grassantur.

*Constantia defectio.*

A. C. 1526. Constantia nunquam sibi minus quam modo constans, uti olim orbis fere universus, subito se Arrianum miratus est; ita hæc Zvinglianam se factam vix ipsa agnovit, iis qui benè senserant, sensa jam sua prode non audentibus cum acti in rabiem miseri & cum à malis geniis, tum à semetipsis concitati, ipsis Superis minarentur. ita ut hoc jam aliqui factorum virorum & Clericorum, desperata civium salute, ne suam quoque in periculum conicerent, sese maturè ex urbe subducerent, & ad loca Hæresi minimè infecta reciperent.

*Multi urbem deserunt.*

*Suevia inficitur Hæresi.*

Non minus quam in Helvetia Zvingliani, in Suevia & Almgavia Lutherani sectas suas promovent, & magna Diœceseos amplissimæ pars, summo Episcopi nostri dolore, ab avita deficit fide, rusticis ea rerum mutatione Dominos omnes sacros & prophanos everfus cupientibus, quorum tamen multa millia passim trucidantur.

*Hugo Episcopus & Canonici fugiunt.*

A. C. 1527. Hugo Episcopus noster, Canonici, Clerus universus Religiosi plerique, cum jam spes nulla superesset, cives ad saniora revocundi, magno Hæreticorum plausu Constantia emigrant. Episcopo cum Canonici Uberlingam secedente, ubi magna cum reverentia honestissimè excepti sunt. Privilegia & litteras aliquot censuales, quam occultissimè extulerunt; sacrum thesaurum in Urbe relinquere coacti sunt, cum nemo adeo repentinam rerum mutationem prævidere, imo nec imaginari potuisset.

*Pauca secum efferunt.*

A. C. 1528. Lutherus Pseudo-Apostolum Constantiæ nostræ, & vicinæ Helvetiæ, scripto pessimè exagitat, inter alia sic loquens de Zvinglianis: *Hereticos serio censemus, & alienos ab Ecclesia DEI, Zvinglianos & omnes Sacramentarios, &c. Beatus vir qui non abiit in consilio Sacramentariorum, nec stetit in via Zvinglianorum, nec sedit in Cathedra Tigrinorum, &c.* Lutherus  
contra  
Zvinglium.

Et mirum est in facie totius conscii orbis, stultissimè simul & nequissime, in puro, ut ajunt, verbo DEI, fidem suam consistere, qui infando æternis sæculis scelere, verbum DEI & sacra biblia infinitis modis depravant & corrumpunt, uti Lutherus Zvinglium corrupisse testis est, illud Joannis I. *Verbum caro factum est. Verbum caro facta est. Et ò horrendum nimis: Hoc est enim corpus meum.* sic invertendo: Hoc significat corpus meum. Horrenda  
corruptio s.  
Script.

Et ò miserimam tunc temporis Constantiam nostram, tali verbo, non DEI, sed Diaboli, & omni dæmone nequioris & turpioris Zvinglii, fidem & manus dedisse. Ipso anno solemnè edicto Constantiæ Missæ Sacrificium tota urbe proscriptum.

A. C. 1529. Hugo de Hohen-Landenberg optimus Episcopus noster in fornace tribulationis excoctus, laboribus exhaustus, senio confectus, cum multa Episcopatus dissolvisset, & viginti florenorum millia Capitulo Cathedrali contulisset, Balthasarem Mercklin Canonicum, virum incomparabilem summaq; apud Cæsares gratia, Principes auctoritate, Hildeshensis etiam Episcopatus Administratorem, Canonicis commendans, ultro & sponte Episcopatum resignat. Successit è voto Hugoni & Canonicis Balthasaris electio, ipso tunc Legatum Cæsaris apud Electores agente, & Legatis ad se Canonicis, serioque rogantibus & persuadentibus annuente. Hugo Episc.  
resignat.  
  
Balthasar  
Episc.

Ipso anno, immani furore, in Sacras Basilicas, altaria, Reliquias Sanctorum, & imagines grassantur Constantienses, vere inconstantes siveque ut majorum dissimiles; vastantur Cœnobia, & sacer thesaurus Cathedralis, supra centum florenorum millia æstimatus sacrilegè diripitur, imagines & Reliquiæ cremantur, Sacrum Divi Conradii Tutelaris corpus in lacu Potamico demergitur. Bellum Religionis in Helvetia sumit initium, Tigurinis & Bernatibus primum contra Catholicos moventibus, & prope Capellenfè Cœnobium congregari paratis, pace tamen composita, aliquamdiu arma ponentibus. Constantienses  
sacra igne  
cremant.  
  
Bellum Reli-  
gionis.

A. C. 1530. Balthasar Episcopus noster in Comitibus Augustanis, præsentibus totius Imperii Principibus & Statibus, ab Alberto Brandenburgio Marchione S. R. E. Cardinale, simulq; Magdeburgensi, & Moguntino Archiepiscopo & Electore, solemnissimè consecratur, & Uberlingam contendens, magna gratulatione Urbis & Canonicorum excipitur. Eodem anno Comitibus prædictis, Principes Lutherani Confessionem suam Carolo V. offerunt, quam tamen quatuor Urbes, Argentoratū, Constantia, Lindovium & Memminga Balthasar  
Episc. conse-  
cratur.  
  
Constantien-  
sis Confessio. acceptare

acceptare prorsus recusant. & propriam Cæsari præsentant; cujus refutationem ab Eccio & Fabro scriptam, in fine Comitiorum publice legi Imperator mandavit.

Constantiæ in Monasteria debacchatum, Religiosi reliqui Urbe ejecti Scotorum Monasterium Senatus decreto penitus eversum. Patrum Dominicanorum publico usui & munitioni Urbis destinatum, omnia sacra loca profanata. Ipso anno Kilianus Abbas & Princeps S. Galli prope Brigantium, equo lapsus flumine mergitur, cum à Comitibus reverteretur. Successit Diethelmus Blaarer à Wartensee vir spectatissimus, qui tamen hoc anno majorem partem, trans Rhenum & lacum metu A catholicorum, & cum Gervyico Cognato Abbate Weingartensi substitit.

*Kilianus  
Abb. s. Galli.*

*Diethelmus  
Abbas ib.*

*Constantia  
Schmalcaldi-  
ci fœderis.*

*Balthasar  
Episc. obiit.*

A. C. 1531. Smalcaldico fœderi Urbium Principumque Hæreticorum junguntur hoc etiam anno Constantienses nostri, etsi longè diversæ, ab illorum, Confessionis. Idem annus incredibili cum luctu Caonicorum & Catholicorum supremus fuit Balthasari Episcopo nostro, cum non nisi annum & tres insuper menses præfuisset. interceptus à morte cum Legatus Cæsaris Belgium peteret, in ipsa Urbe Treverensi, repentina morte, cum jam equum conscendere pararet, ablatas, & ad S. Simeonis sepultus, cum hoc Epitaphio:

### DEO OPT. MAX. TRINO, ET UNI.

*Epitaphium  
Ejusdem.*

Rmo. in Christo Patri ac Domino D. Balthasari Mercklin à Waldtkirch D. G. Episcopo Constantiensi, & Administratori Hildesheimensi: Sub Carolo V. Imperii Vice-Cancellario, & duorum Cæsarum Aulas per Germaniam, Hispanias & Italiam multis annis sequuto: obeundis Conciliis Imperii, & amplissimis Legationibus, Juris utriusque scientia, consilio, rerum gerendarum prudentia & autoritate singulari, tum cæteris artibus gravissimis, amplissimos honores adeptus. tandem iniquissimis fati erepto: liberalissimo, & in omni fortuna modestissimo, pientissimoq; consanguineo & Mecœnati suo incomparabili: Joannes Keck à Treveri P. Vixit annis 52. obiit Treveri anno 1531.

*Hugo denuo  
fit Episc.*

Nuncium vix accepere de morte Pontificis sui Canonici Constantienses, cum vota iterato omnia, Hugonem Ex-Episcopum Balthasaris antecessorem unanimiter repetunt (qui modica sibi pensione & castro Marckdorff retento illic reliquum vitæ exigere optaverat) ad eum quamprimum convolant, summis precibus orant, nec desinunt, donec meritissimum senem evincant. Ita victus, imo coactus, gloriosior secunda electione quam prima Hugo noster, præest denuo & prodest, dignus præconio immortalis.

*Bellum alte-  
rum Capel-  
lense.*

Ipso anno concitante in arma Tigurinos suos Apostata & Hæresiarcha Zvinglio, ipsomet arma corripiente, suumque in Catholicos odium minis omnique conatu virium contestante, prælium alterum Capellenense exortum fuit,

fuit, ipſo inprimis prohibente Zvvinglio, non niſi ſanguine & cæde alter-  
 utrius exercitus finiendū, quo & ipſe, & alter Apoſtata Theobaldus Gerolt-  
 zaggius Apoſtolum ſuum recta ad inferos comitatus, cum illum inter mor-  
 tuos etiamnum ſpirantem Catholicorum non nemo, utrum peccata con-  
 fiteri cuperet interrogans, ipſe ceſpitem velut canis rabidus morderet, haſta  
 tranſfixum, ad orcum pergere juſſiſſet; cujus cõrpus inde ignibus exuſtum,  
 arma in armamentario Lucernate ſuſpenſa ſunt; Conſtantiensibus etiam  
 partem merentibus & quanti olim facientibus, tanti hodie execrantibus, &  
 in ludibrium illius oſtentantibus.

Zvvinglius  
 occumbit.

Ignibus exu-  
 ritur.

Hugo Epiſc.  
 moritur.

A. C. 1532. Valedicit mortalibus, immaturè nimis, votis omnium  
 Hugo Epiſcopus ipſe annis & meritis cælo maturus, initio ſtatim anni 7. Ja-  
 nuarij in caſtro Marispurgenſi, quod præclare reſtauraverat in Domino  
 requieſcens, & ibidem honorifice ſepulchro conditus. Princeps; ab omni  
 virtutum genere, clementia inprimis, Religione, prudentia, & vitæ integri-  
 tate commendatus, diverſarum Eccleſiarum & Monafteriorum Benefactor,  
 Petruſiani inprimis, cujus alter Fundator dici meruit: Zoſingenſis dein &  
 S. Petri Virginum Dominicanarum, ut & omnium pater Pauperum exitit;  
 ita ut nemo non obitum tanti Principis plurimum deploraret, cui quamprimum  
 à Canonicis ſuffectus eſt, Joannes Comes de Lupffen, Georgij Comi-  
 tis & Annæ Baroniſæ ab Erpach filius diu multumq; rogatus, donec tantum  
 onus, in tanta temporum difficultate ſuſcipere annueret. Ipſo anno liſtor  
 quidam publicus Conſtantiens ſ Magiſtratus, animadvertens ad eò impunè  
 ab omnibus, Chriſti Hæreditatem diripi, & ſacros theſauros, in prophanos  
 & privatos uſus converti, ſatius ducens è prophano quam Sacro ditari, occa-  
 ſionem naſtus, octodecim florenorum milia in aurea moneta ex ærario  
 publico ſubducit, deprehenſus paulo poſt, & in patibulo ſuſpenſus, ſacrile-  
 giſ ingentia furta impunè committentibus, & furto ablatis ſecure fruentibus,  
 ita ut de hiſce etiam publice gloriari non erubeſcerent, & laudem meruiſſe  
 viderentur.

Alter Funda-  
 tor Petruſii.

Joannes Epi-  
 ſcopus.

Furtum pu-  
 nitur.

Sacrilegia  
 libera.

A. C. 1533. Incredibili Joannis Epiſcopi luſtu, Epiſcopatus damno,  
 Ducatus Wirtenbergiæ ampliffimus, totus fere in Diceceſi noſtra compre-  
 henſus ab obedientia Romanæ Eccleſiæ, & Epiſcopi noſtri, una cum Duce  
 ſuo deſciſcit, innumeris penè Monafteriis & Eccleſiis ad profanos uſus ſacri-  
 lege converſis, redditibus Epiſcopatus pene omnibus, ſubito deficientibus,  
 ita ut vix alicubi Epiſcopus haberet; quod ſuum eſſe dicere poſſet, præter  
 Marckdorffium & Marisburgum, & pauca abſq; inania caſtra quorum ſub-  
 diti fere omnes, novitatis ſtudio, priſcam fidem eſuraverat. Hoc anno Con-  
 ſtantiens S. Laurentii templum impiè profanatum, tormentis curulibus  
 aſſervandis aſſignant, nulla vel DEI, vel ſanctorum habita ratione.

Wirtenber-  
 gia deſciſc.

Ingens jaſtu-  
 ra Epiſcopa-  
 tus.

Templum  
 S. Laurentii.

A. C. 1534. Summa in Imperio auctoritate, & cum apud Carolum V. Imp.  
 Aug. tum apud Ferdinandum Regem gratia eminet Gervvicus ex prænobili

*Gervvicius*  
*Abb. Weing.* Blaarerorum gente, Monachus & Abbas Weingarttenſis, vir præter familiæ splendorem, doctrina, facundia, & Juris, maximè Canonici, ſed & forenſis atq; civilis praxi ſpectatiſſimus, morum inſigni venuſtate, & in rebus agendis admiranda prorsus dexteritate commendatiſſimus; inter præcipua non ſolum Diœceſeos, ſed totius Imperii, imo Eccleſiæ univerſæ merito referendus. In hoc ipſo tempore, incredibile eſt quantum itineris, quantum laborum, in ſummi momenti legationibus inſumpſerit, multo quidem cum Cænobii totiusq; Ordinis Monaſtici honore, ingenti tamen valetudinis & ſæpe etiam vitæ diſcrimine, ea tamen ſucceſſuum felicitate ut nō tantum ſummos Orbis Principes immortaliter demeretur, ſed ipſis quoq; hoſtibus & admirationi eſſet & venerationi. Ipſo anno piſcatores Conſtantiæ uno retis jactu tractuque ſupra 46. millia piſcium (quos **Gangfiſch** appellant) è lacu extraxere, multo plures tracturi, niſi rupto reti magna pars in libertatem aquarumque profunda emerſiſſet.

*Barnabas*  
*Abb. Engellb.* A. C. 1535. Barnabas Abbas Montis Angelorum, nullis ſatis laudibus celebrandus, propugnator caſtæ Religionis accerrimus, qua erat eruditione ſingulari, variis diſputationibus, Thermopolitana imprimis illa ſolemni, Zvvinglianorum fraudes, ita detexit, ita confudit, ut deridiculo omnes exponeret, ipſe minis & periculis omnibus ſuperior, de Catholica Helvetia univerſa meritiſſimus; ſyderibus lucidiſſimis Diœceſeos adnumerandus.

*Gervvici*  
*Abb. Legatio.* A. C. 1536. Magnus revera Præſul Gervvicius Weingarttenſis Abbas, in ſummi momenti negotiis, hoc anno Neapolim uſque occurrere ad Cæſarem cogitur, infinitis laboribus & periculis Religionis & Imperii cauſa ſe devovens; alacer nihilominus, ſummoque in diſcrimine imperterritus, glorioliſſimum ratus boni publici cauſa vitam profundere. uti ſeſe quotidie & Numini & bono publico generoſè devovebat.

*Ioannis Episcopi neceſſitas.* Joannes Episcopus noſter ob invaleſcentem utrobique & in Helvetia Zvvinglianorum & in Suevia Lutheranorum, omnia per vim invadentium & uſurpantium licentiam, ad magnam rei domesticæ redactus anguſtiam, ſumis precibus Romæ cōtendit pro Monaſteriis Divitiæ Augiæ & Oenigenſi, ſibi aſſignandis. Ipſo anno moritur Sebastianus à Breitenſtein Abbas & Princeps Campidonenſis, podagræ doloribus jam ſeptuagenarius extinctus, cui Wolfgangus à Grünenſtein ſubrogatur.

*Ioannes Episc. reſignat.* A. C. 1537. Joannes eo nomine V. Conſtantiens ſis Episcopus Comes Lupodunenſis, vulgo de Lupffen, eſt conſenſu Romæ ſuper Cænobiiſ Augienſi & Oenigenſi ſibi concedendis impetrato, variis tamen difficultatibus & impedimentis intervenientibus, rei um pertæſus, Pontificatu ſe ultro abdicat, Canonici ut antea munere contentus, facta Capitulo libere alium quemcunque eligendi poteſtate, pridie Cal. Novembr. ſucceſſit ad inſtantiam

stantiam Cæsaris & Regis Joannes eo nomine VI. de Weza Nobilis Juliacen-  
sis, Archipræful nuper Lundenfis, Episcopus Lundenfis, è Dania ob Christier-  
ni Regis tyrannidè profugus, variarum linguarū cognitione instructissimus.

*Joan. de Weza  
Episc.*

A. C. 1538. Is qua valebat plurimum cùm apud Cæsarem, tùm Fer-  
dinandum Regem auctoritate, Romæ etiam, quamprimum incorporatio-  
nem Cœnobiolorum Divitis Augiæ & Oeningensis impetrat, cum jam antea  
similiter Waldsassenfense Cœnobium impetrasset, verum sacra nimium inva-  
lescente siti, juxta illud: *Quo plus sunt pota plus sciuntur aqua*, cum etiam qua-  
tuor Canonicorum præbendas, & Decanatus Cathedralis Collationem  
prohibitu, sibi impetrasset, graviter Capitulum offendit, hoc simpliciter re-  
cusante, & nullis verborum blandimentis se persuaderi sinente; ex quo tem-  
pore satis odiosus omnibus exitit, etsi raro in oculis Canonicorum, sed ple-  
rumque sive in Aula Cæsaris, sive in Waldsassenfi Cœnobio, quo liberti-  
mè ut proprietate usus est, versaretur.

*Augiam Divi-  
tem & Oe-  
ningam im-  
petrat.*

*Colliditur  
cum Canoni-  
cis.*

A. C. 1539. Incredibili omnium Veteris Religionis monumentorum  
abolendorum studio Constantienses, quidquid possunt, undique convel-  
lunt, cum magna omnino paucorum qui in Urbe remanserant oppressione  
Catholicorum. Vice versa rerum Catholicorum summa fide & industria sa-  
ragit in Helvetia Diethelmus S. Galli Abbas, æque atque cognati eodem  
tempore Gervvicus Weingartensis & Ludovicus Einsidlenfis (omnes Blaa-  
reri eadem generositate Christi invicti pugiles) imperterritus & ipse in omni  
vitæ discrimine, ita ut jam aliquando lubens & libens, denudata cervice iclū  
gladii expectaret, dignissimumq; æternitatis corona caput sponte offerret,  
cum hostis pendulo sacro Reliquiarum è collo thesauro contentus, suæ etiam  
fortè vitæ tanto ab facinore metuens, spoliatum dimitteret. Certe Ludovi-  
cusejusdem cognatus, haud minore labore defunctus, semina quæ spurcis-  
simus Hæresiarcha Zwinglius in Sacra Heremo sparsit, indicibili labore  
ægrè admodum evulsit, & assertoris atque Vindicis rei Catholicæ præstan-  
tissimi æque ac Cognati prædicti meruit.

*Constantien-  
ses obstinati.*

*Diethelmus  
Abb. S. Galli.*

*Martyrio  
proximus.*

*Ludovicus  
Abb. Einsidl.*

A. C. 1540. Iterum insigne sydus Diæceseos nostræ se suo splendore no-  
tat Venerabilis Heremita F. Conradus cognomento Schauber, qui hoc anno  
sæculo valedicens Beati Nicolai concivis & avi sui propositum amplexus,  
cum antea generosissime contra Zwinglianos suum robur & zelum com-  
probasset, cum inferis solitaria pugna congrédi ausus, carnem etiam suam  
hostiliter habuit, eam Numinis in mortali etiam corpore gratiam adeptus,  
ut multorum sacreta hominum & cogitationes Divinitus cognosceret, &  
eventura prænucciatet.

*Ven. Conra-  
dus Heremi-  
ta.*

Aestas ferventissima, qua factum ut lacus Potamicus supra modum  
descresceret, Constantiensibus tempore & occasione usis & turrim propè  
ædes Mercatorias construuntibus, multaque Urbis loca versus Rhenum &  
lacum per eam siccitatem oportune communientibus.

*Aestas fer-  
ventissima.*

*Ioannes Episcopus fit Sacerdos.*

A. C. 1541. Nunc primum in solemnibus Ratisponæ Comitibus Joannes de Weza Episcopus noster, tanto jam ante & Archiepiscopus & Episcopus Lundensis & Rorschildensis, Sacerdotio initiatur, ac dein Pontifex consecratur ab Alberto S. R. E. Cardinali Archiepiscopo & Electore Moguntino, Marchione Brandeburgio presentibus Cæsare Carolo, & Ferdinando fratre Rom. Rege, universisq; ferè S. R. I. Electoribus & Principibus, magna pompa & Majestate.

Lue pestilenti graviter flagellatur Constantia, plurimis Apostolum suum Zvinglium ad debitas Sacrilegis & Apostatis pœnas consequentibus, paucis resipiscitibus, quo ipso anno Taleros sive Philippæos novos cudente Magistratu Constantiensi, multa per urbem, ad ejus munitionem pertinentia elaborata sunt.

A. C. 1542. Joannes Episcopus noster Uberlingam ad suos Canonicos delatus, ibidem primum solemne in Episcopatu suo Sacrum, in magno populi concursu cantat. Canonici eodem anno, cum aliquot annis supra conditum Uberlingæ habitassent, tertio Nonas Decembris Uberlinga discedentes Ratolphi Cellam ad locum Venetum commigrarunt.

A. C. 1543. Magnum iterum luminare à Diœcesi nostra ad Augustanam transfertur Ottho Dapifer Waldpurgius, Gervvico Abbati familiarissimus, & Augustanus eligitur Episcopus, maximis deinceps sese meritis commendans, què nomine Imp. & Regis Gervvicus Abbas Weingartensis Canonicis proposuit, hoc anno novus Constantiæ pons, maximis sumptibus Rheno imponitur, sequenti perficitur.

A. C. 1544. Insignem Christi in terris pugilem perdit hoc anno Diœcesis nostra, vocato ad coronas triumphantium Ludovico Blaarero Einsidlenfi Abbate & Principe, qui exantlatis maximis laboribus in excindendis Hæresiarchæ Zvinglii sordibus, maximis sese meritis Romanæ commendans Ecclesiæ 4. Cal. Februarii in Domino requievit, in cujus labores, Joachimus Eichorn, patria Wilensis, omnium Religiosorum (qui quatuor tantum eo rerum statu alebantur,) natu minimus, ætatis 26. annorum succedere jussus est; maximis paulo post sese meritis commendans.

*Muri cæmeteriorum diruti.*

A. C. 1545. Muri areas templorum sive cæmeteria lato spatio ambientes, Cathedralis nimirum Basilicæ, S. Stephani, S. Joannis S. Pauli, Augustinianorum, Franciscanorū, dirutis Defunctorum pulcherrimis Monumentis & memoriis, in speciem ampliendæ urbis, maxima cum injuria parentum cujusq; & majorum, sed & posteriorum in oblivionem & parentum & proprii generis venientium, pessimo exemplo, maximo multorum incommodo destruantur & Constantia nostra jam verè inconstans, suæ

*Petrus Abbas Creuzling.*

Nobilitatis inemor, cum deliris delira redditur. Eodem anno Petrus Babenberger ex oppido Campidoni oriundus Abbas Creuzlingensis, qui 47. annis, in sum-

in summa temporum difficultate, sexcentis fluctibus jactatus Constantien-  
 bus exemplum constantiæ sed sine fructu horum, admirabile præbuit, &  
 Monasterium à Zvvinglianis destructum elegantius resuscitavit, defectu  
 virium, ultro & sponte resignans, eodem anno è vivis excessit, alter Funda-  
 tor merito suo appellatus.

*Alter Funda-  
tor.*

A. C. 1546. Insigne iterum tenebrosissimo tempore, egentissima  
 lucis, cælo sydus resignat, Diocesis nostra, Barnabam Angelomontanum  
 Abbatem Zvvinglio - Maftygem eruditissimum, & proculcatorem fortissi-  
 mum, non sine sanctitatis fama, meritorum copia maxima, ad sydereas &  
 Empyreas mansiones quarto Cal. Jan. vocatum. cui Joannes Spörlinus suc-  
 cessor designatus haud diu superfuit. Gervvicus Weingartensis Abbas,  
 nolens volens, omnibus adesse à Cæsare jussus, etiam Exercitum Cæsaris hoc  
 anno sequi coactus est, & pro Duce Albano comeatum & necessaria cure  
 suo exemplo comprobans viros & litteratos & egregiè nobiles, Reli-  
 giosos insuper & Religiosorum Antistites, nihil dedecere, quod juvandæ pa-  
 triæ, & in causâ fidei vel maxime, prodesset.

*Barnabas  
Abb. mori-  
tur.*

*Gervvicus  
Abb. omnibus  
omnia.*

A. C. 1547. Idem Heroicus omnino, juxta summam Religionem, Idem Abbas.  
 Abbas, omni anno & pagina memorandus occurreret, isto tamen anno  
 prætereundus non est, quo jussu & nomine Cæsaris, diversas Imperii Urbes,  
 magno cum comitatu subiit, & juramentû fidelitatis solemne exegit, à Mem-  
 minga, Isna, Biberaco, Campidono, Ravenspurgo, &c. Idem, ipso anno  
 Ulmæ solemnissimâ in Processione festi Corporis Christi, in magna Princi-  
 pum frequentia, Venerabile Altaris Sacramentum, insigni Generositate in-  
 terfrendentium ora & minas circumtulit, quod in hanc usque diem nemo  
 deinceps tentavit. Constantia à Cæsare rebellis declaratur.

*Idem Abbas.*

*Urbes ad fi-  
dem adigit.*

*Ven. Sacram.  
Vina in Pro-  
cessione gestat.*

A. C. 1548. Tristissimo casu, invalescente nimium per Helvetiam  
 pestilentie Joannes Angelomontanus Abbas, cum toto Conventu eadem  
 pestilitate corruptus decessit, unico Ascetarum Bernardo Ernst superstite,  
 qui statim postea Abbas designatus fuit, & bene præfuit.

*Totus Con-  
ventus peste  
moritur.*

Fuit hic annus felicissimus Constantiæ nostræ, etsi tunc ipsa inter in-  
 faustissimos numeraret. Gervvicus Abbas multis precibus & artibus lucrari  
 patriam satagens, & Thomam in primis Urbis Consulem, ejusque fratrem  
 Apostatam Ambrosium, Blaareros cognatos, qui principes ferè erant  
 Zvvinglianæ factionis, cum nec verbis quidquam nec minis proficeret, san-  
 cta in patriam pietate motus, cogi nolentem maluit, quam volentem perire  
 Itaque Cæsarem, Regemque ad asserendum prisçæ Religioni locum adeo  
 opportunum, facile permovit, & quod in Religionis causa nemini fideret ma-  
 gis quam Hispanis, eodem citatis itineribus, & qua fieri oportebat dissimila-  
 tione maximâ, Antoniû de Vives Archistrategum, cum Legionibus Hispanicis  
 mitti impetravit, ipso quasi ignarissimo rerû domi se continente, & successum

*Constantia  
bello petitur.*

*Gervvicus*

*Alphonsus de  
Vives Hisp.*

rei anxie Numini commendante. Ita obruti repente sunt Constantien-  
ses, cum nihil minus quam obsideri cogitarent, terrâ mariq; repente ob-  
fessi; multo tamen majore clade obsidentium quam obsessorum. Tri-  
bus repente locis imparatos intercipere Alphonfus certum habuerat, &  
Petruſianum suburbium prius cepit, quàm adesse crederetur, militibus re-  
pente per pontem in ipsam urbem contendentibus, mox tamen magna clade  
repressis cum quadraginta an sexaginta juvenes laniones, facto in Hispanos  
impete, pontem à suo tergo rescindi curarent, eoq; facto, ut nando exerciti  
erant in Rhenum se præcipites darent, nonnulli una Hispanos traherent ac  
mergerent, ac dein ad suos se in muro expectantes reciperent. Nec melius  
excepti ad portâ Creuzlingensem, qui una cum ipso Generali Alphonso ur-  
bi imminebant, hoc ab seniculo quodam, jaculari à juvenibus coacto, al-  
tero globi ictu neci dato, filio quoq; Ducis pedem graviter læso, funus  
quamprimum patris Uberlingam comitante. Sed & nepos ex fratre Ducis  
brachium ictus & Ratolphi cellam delatus ex vulnere obiit, cæteris qui  
magnis octodecim navibus mari venerant, magno globorum imbre ex  
Prædicatorum Monasterij ruderibus, hostiliter exceptis & in fugam actis;  
quæ Gerwicús illubenter audijt, & ad alia conversus Consilia, quasi con-  
dolens urbi, colloqui, cum aliquo è Magistratu ad id subordinato ex-  
petijt, missiq; Archigrammateo, id tandem effecit, ut liberè in fidem  
Cæsaris concederent, quem ab innata bonitate, civibus commendavit, &  
veniam delicti promisit, ut & impetravit, ipse à Cæsare Carolo, & Ferdi-  
nando Rege cum ipsis tractare jussus, quibuscum 16. Sept. in certas con-  
ditiones convenit: ita ut ipso hoc etiamnum anno 13. Octobris omnes  
Zvvingliani verbi præcones urbe eijcerentur, moxq; Ecclesiæ Religiosis &  
Catholicis restituerentur: Urbs præsidium militare ad tempus admitteret,  
& nomine Domus Austriacæ supremum urbis Capitaneum seu Præfectum  
Nicolaum Baronem de Polyveil agnoscerent & colerent. Ita pius in pa-  
triam Gervicus, etsi armis cogeret ad veram pietatem, sese toti posteritati  
commendavit. Extinctus ante hanc urbis fortunam Joannes Episcopus  
Augustæ Vindelicorum in Comitij repetino morbo est, non magno Cano-  
nicorum luctu, ut neq; Augiensium vel Oeningensium, apud Augienses ta-  
men, ut vivuselegerat, gratior à morte hospes, tumulo exceptus est, brevi,  
ut ajunt, Sarcophago stanneo, lapideo superinstructo cum se quanti, jussu  
successoris Epitaphio:

*Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus Dominus Ioannes à Weza ab Ar-  
chiepiscopatu Lundonensi in Dania & ejusdem suffraganeu Roschildensi  
exulans, Episcopus in gratiam Rom. Imp. Caroli, nec non Regis Ferdinandi, in  
Episcopatum Constantiensem postulatus, repentina morte tredecima Junij,  
anno à nato Salvatore 1448. præventus, sub hoc saxo sonum tubæ expectat.*

*Tribus locis  
urbs obside-  
tur.*

*Insignis reso-  
lutio.*

*Dux ore.*

*Item nepos  
ejusdem.*

*Gervici pia  
fraus.*

*Zvvingliani  
præcones eje-  
cti.*

*Moritur Io-  
annes de  
Weza Episc.*

*Epitaphium  
Episcopi.*

Ipsi magna omnium gratulatione Christophorus Metzler ab Andelberg suffectus est.

A. C. 1549. Christophorus novus Episcopus, Augustam Vindelico-  
rum profectus, ab Otthone Dapifero, S. R. E. Cardinale & Episcopo Au-  
gustino, solemniter consecratur, domumq; reversus, apud Ratolphi cellam  
suos Canonicos conveniens, inde Marispuigum delatus primum ibi solemne  
sacrum decantavit, quod Constantiensibus necdum crederet, à quibus ultra  
auri Millionem pro damnis Ecclesiæ Cathedrali illatis exigebat.

Ipsa anno Constantiæ Magistratus reformati, & Tribunitia Tribuum  
potestas in ordinem redacta; Senatus interior numero imminutus, pro  
triginta, viginti delecti; Senatus item major ex octoginta, ad quadragin-  
ta deductus Senatores.

A. C. 1550. Joachimi Abbatis Einsidlensis ingentia merita, qui Zvvin-  
glianos omnes sive Ecclesiæ lucratus est, sive vicinia ejecit, adeo paulo post  
disciplinæ pristinæ reddens Monasterium, ut inde Religiosæ vitæ exempla-  
ria ad diversa loca expeterentur, in iisdem amplissimas dignitates & officia  
consequuti.

Idem fortem, imperterritum, constantem & assiduum contra  
quoscunq; adversarios, qui & multi & diversi, è subditis & pariter ex-  
ternis, se semper præstitit, & egregij per omnia Principis officium im-  
plevit.

A. C. 1551. Mandato Cæsaris jubentur Constantienses, pro damnis  
illatis Episcopo solvere viginti florenorum millia. Qui etiam alijs Mona-  
sterijs, & Petrusiano in primis Satisfactionem aliquam fecere. Eodem an-  
no Christophorus Episcopus noster Constantiam solemniter cum comitatu  
Equitum octuaginta XI Maij invehitur, ejusdemq; mensis die XII. Basili-  
cam Cathedralē consecrat in quâ Dominica Pentecostes SS. Missæ offi-  
cium ritu solemniter decantat, Constantiensibus jussis denuo altare, quod  
profanaverant venerari, & ex more nummos imponere fuerunt prima vice  
impositæ, libræ nummaria sedecim, multis sibi gratulantibus, à tam infanda  
secta beneficio Numinis singulari sese emerfisse.

A. C. 1552. Insigne sui Cœnobij, imo totius Diœceseos, inter den-  
sissimas tenebras hujus ætatis, tantasq; Germaniæ ruinas lumen & columnen  
Henricus Clausius Abbas Wiblingensis, luce fidei illuminatissimus, radios  
suos spargit, & scriptis Divino calami ductu libris variis, cultum Sanctorum,  
eorum ipse observantissimus, & contemplatione cœlestium, quantum mor-  
tali licebat homini, iisdem proximus, nomen suum, solatio posterorum  
Fidelium labore sanctissimo commendat. Scripsit autem.

*Ejus ingenii  
monimenta.*

Hierapolim, sive de cœlesti Curia.	Libros 2.
Orationum ad Cœlestem Curiam.	Lib. 1.
Speculum propriæ cognitionis.	Lib. 1.
Dialogorum Vitæ Christi - - -	Lib. 3.
Miscellaneorum - - - - -	Lib. 1.
Sermonum Variorum - - - - -	Lib. 1.
Exercitium devotivis, ad DEUM, & Patronos.	Lib. 1.
Commendationem ad S. Annam Christi aviam.	
In Caput Regulæ XLIX. Sermones duos.	
Apologiam pro se adversus Apostatam.	
Dialogus ad Patrem & filium ad Religionem aspirantem.	
Epistolatum ad diversos librum unum.	

*Laus Cœnobii  
Wibling.*

Certè Monestario ipsi Wiblingensi, perditissimis temporibus hęc nomen Sanctitatis etiam ab improbis delatum fuit, quod etiam Numen ab A catholicorum furore, prodigiosè quandoq; vindicavit & conservavit.

*Constantia  
resipiscit.*

A. C. 1553. Constantiæ res prosperè procedunt, plurimis jam promptè execrantibus, quæ turpiter decepti ante admiserant, compertum, præter insitum novitatis studium, solam commodorum propriorum, & libertatis spem, plausibile sibi novum visum fuisse Evangelium, quod Christus JESUS æterna Veritas longè aliter dictaverit. Ipso anno mortuus est Nicolaus Liber Baro à Polvveil, primus urbis nostræ nomine Archiducum præfectus, Religionis Catholicæ Zelator egregius; cui Jacobus Baro de Landovv succedit, è familia Ducum Wirtenbergiæ.

*Jacobus à  
Landovv.*

A. C. 1554. Idem Jacobus Landovius brevi admodum Præfectura, hoc ipso anno vita simul defungitur, succedente Domino Georgio Speet à Zvvisalten, Equestris antiquissimæ Nobilitatis, Heroe, sub quo deinceps Constantia nostra, adeo in solida fidei agnitione & vera pietate profecit, ut longè ferventior, quam ante defectionem fuerit; plurimis deinceps civium, omnes ferè opes suas, in reparanda Cœnobii & Ecclesias insumentibus.

*Georgius  
Speet.*

*Ædes urbis  
Præfecti.*

A. C. 1555. Sumptibus Civitatis publicis ædes Præfecto Austriaco in foro urbis superiore ædificatæ, in quibus & Georgius supra dictus & cæteri deinceps successores commode habitarent, quibus etiam redditus annui sumptu publico sunt assignati. Christophorus Episcopus verum se pastorem comprobans, mira amabilitate cives lucratus, integrioris quam maxime vitæ exemplo plurimum apud plerosq; proficit; cultum autem Divinum plurimum promovit, & Catedralem Ecclesiam præclarè restituit.

*Episcopus ve-  
rè pastor.*

A. C. 1556. Moritur Gebhardus Dornsperger familia antiqua & celebri, *Gebhardus*  
 Abbas Petrusianus, Præful optimè meritis, qui Monasterium suum è cineri- *Abb. Petrusij.*  
 bus præclare resuscitavit, cõfidentè libentius Urbe, & casum miserante, quod  
 illud minimè furor Zwinglianus civium, sed Hispanorum spe sua Urbis po- *Incendium*  
 tiundæ frustratorum, & ab omni Urbis parte turpiter rejectorum, cum toto *Petrusij.*  
 suburbio exusserit. De quo incendio ita simul Joannis de Weza Episcopi  
 obitum Chronosticè notans Andreas Mazius defuncti Præfulis Secreta-  
 rius:

*Præfuls exeqvils tVMVLo Constantia radas*

*En dabat, accendit sangVine tInCVs Iber.*

*Carmen Nu-  
merale.*

Excusabis Lector conatus sæculi obscuri, & rerum ejusmodi minus experti;  
 ut qui litteræ D. numeros nescierit.

A. C. 1557 Iterum egregium ac verè splendidum sydus cœlis transmittit *Ven. F. Con-*  
 Diocesis nostra, beatæ memoriæ Fratrem Conradum Heremitam Sylva- *rad, Sylvan.*  
 nium, singularem Animarum in flammis purgatricibus detentarum Advoca-  
 tum, quæ ipsum de nocte frequentius compellantes, opem & preces ejus-  
 dem enixè efflagitabant. Excessit autem ad æternitatis præmia 6. Martij  
 in festo S. Fridolini, cujus Anniversaria tamen memoria festo S. Conradi  
 magna devotione in loco sepulturæ Parochiali Ecclesia Wolffenschieffen  
 peragitur. Ipso anno Christophorus Episcopus, quod jussu Senatus duo *Interdictio*  
 Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Stephani, in ædibus quibusdam detineren- *Vrbs subdita.*  
 tur, nec dimitterentur: Interdicto subjecit Urbem, donec ab Imp. Ferdin-  
 ando, de justa summi Pontificis sententia, contra ejusdem Ecclesiæ Cano-  
 nicos, Sebastiano ab Herbsthaim, quod suum erat, etiam post latam sen-  
 tentiam, negantes informaretur, & se rem Senatui commendasse edoce-  
 retur, monitus ipse Canonicos ad id quod æquum est sese accommodare,  
 cogeret. *A Casare de-  
fenditur.*

A. C. 1558. Sanctitatis exempla haud levia edit Joachimus Einsidlensis *Joach. Abb.*  
 Abbas, ut non tam suis, Deiparæ in Sacra Heremo alumnis, quam Ordini *Einsid. laudes*  
 nostro Benedictino universo, virtute sua illuxisse videatur, cujus exactiorem  
 Regulæ observantiam, non per Helvetiam solam, sed & per Sueviam, pluri-  
 mum promovere allaboravit, ipse exemplar omnibus factus & forma primæ-  
 vi fervoris & perfectionis.

A. C. 1559. Constantienses, alieno aliquamdiu arbitrio sua curanda per- *Vrbi Iura*  
 mittere jussi, impetrant à Ferdinando Imp. Augusto, liberam suos creandi *restituuntur.*  
 & mutandi Consules potestatem, itemque ut penes Urbem deinceps claves  
 portarum essent. Sed & multa alia honorem Magistratus & splendorem ur-  
 bis spectantia, quæ post defectionem, metu revolutionis civibus negata fu-  
 erant & inconcessa. In Monasterio Rhenviensi moritur Joannes Hen- *Joannes Abb.*  
 ricus Schenck à Castell, qui Bonaventuræ de Wellenberg successerat, vir in- *Rhenov.*

signi generis Nobilitate, sua generosa indole, adversum Zwinglianorum injurias obarmatus. cui pro Religione multa certamina subeunda erant, jure merito civili corona in æternitate donando.

*Joachim. Abb. Einsid. Homagium Imp. præstat.* A. C. 1560. Meritissimus de re Catholica Joachimus Abbas & Princeps Einsidensis ex edicto Cæsario Gerwico Abbati Weingartensi & Ochsenhusano, Vice-Cæsaris, fidei & obsequij juramentum IV. Cal Decembr. in Monasterio Weingartensi præstat. inde ad labores agri Domini reverfus pervigil in Helvetia excubitor ne ulterius serperet zizania Zwinglianorum. Ipso anno datis hac die litteris ad Gerwicum Abbatem prædictum Pius IV. Pont. Max. suam de ipsius dexteritate opinionem aperte declarat. Ipsas subijcimus:

## PIUS PAPA IV.

*Litteræ Pij IV. Pont. Max.* Dilecte fili. Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum ad tollendas de Religione controversias, & sedanda Schismata, aliæque, quæ correctione indigent emendanda, nuper indixerimus Concilium Oecumenicum & Generale, Deo annuente, in civitate Tridentina celebrandum, sicut cognoscet ex Bulla nostra exemplo; misimus hujus rei causa in Germaniam Ven. Fratrem Zachariam Episcopum Pharensensem Nuncium nostrum, datis ei nonnullis ad Tuam quoque Devotionem mandatis. Petimus igitur ut ejus orationi, seu litteris, si Te commode alloqui non potuerit fidem habeas. Datum Roma apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 1 Dec. 1560. Pont. nostri anno 1.

*Moritur Christoph. Episc.* A. C. 1561. Religiosissimè in Domino requiescit, post egregia vitæ merita, Christophorus Episcopus noster Constantiensis, verum exemplar vigilantissimi pastoris, veri pauperum Patris, qui plus expensarum in alendos pauperes, quam in seipsum, & Aulam atque familiam domesticam fecerit, quin & proprium patrimonium in eosdem distribuerit, cognatos proprios neglexerit, & ab eis rogatus, saltem à morte ipsis aliquantulum consultum velle, responderit, omnia ad Ecclesiam unde acceperit pertinere, qui nec obolum Augiæ Divitis voluerit ad usus suos applicare; asseverans ad Monasterium pertinere, eaque singulari cistâ sub lecto suo (uti à morte deprehensum) eidem conservare. Idem consolator afflictorum piissimus, solitus ipse ad agros & afflctos invisere, eosque & verbis, & omni qua poterat ope solari & recreavit. Obiit 11. Sept. Marisburgi in arce sua, sepultus ibidem in templo Parochiali, ubi vivus sibi ipse locum requietionis elegerat. Cujus sepulchrali lapidi hæc ipsa incisa leguntur.

*Epitaphium.* Christophorus Episcopus hîc jacet: Viator funde preces, & abitum quoque para morituro. Obijt 1561. die vero 11. mensis Septembris.

*Alia Inscriptio.* Christophorus ab Andelberg ex familia Meizler, patria Feldkirch Curienfis Diœcesis, in Doctorem Viriisque Juris Bononiæ creatus: primitus in Diœcesi

*Constantiensi Vicarius & Officialis communis, tandem in Canonicum ejusdem Cathedralis assumptus, atque vacante Sede totius Constantiensis Episcopatus in spiritualibus & temporalibus locum tenens Generalis deputatus: demum Episcopo Joanne illoque electo Lundenensi pie defuncto, prater suam expectationem in Episcopum Constantiensem consecratus est. Qui in multis hujus seculi calamitatibus Episcopatum suum annis 13. mensibus 3. feliciter DEO auspice rexit. Quiescat in sanctissima pace.*

Reliquit in parata pecunia successori viginti quatuor florenorum millia. *Marcus Sitticus Episc. & Cardinalis.*  
 Is fuit, eodem anno promotus à Pio IV. Romano Pont. ejusdem ex sorore nepos Marcus Sitticus Comes ab HohenEmbs S. R. E. Cardinalis Presbyter Tituli S. Petri in vinculis, qui possessione accepta, Romam rediturus datis 7. Idus Novembris hoc ipso anno ad Gerwicum Abbatem, quæ extant, literis, Eidem Consiliarios, Aulicos, omnem relictam familiam enixè commendat, & ut ad se recursurus, suo more consulat, & quidquid è re Episcopatus sit providere velit, pro sua in ipsum confidentia summopere orat. Operam vicissim suam, siquid in ejus gratiam Romæ possit offerre & pollicetur. *Hervvici Abb. auctor.*

A. C. 1562. Quantam apud omnes auctoritatem haberet Joachimus Einsidlensis Abbas & Princeps, & quantum de sua eruditione & integritate opinionem præberet, clarum ex eo argumentum habemus hoc anno, quod ordo Ecclesiasticus totius Helvetiæ Conventu Rappersvillensi, dignum præ omnibus & potissimum judicaverit, quem suo nomine ad Concilium Tridentinum destinarent. quem & Rom. Pontifices Julius III. & Paulus IV. tanti fecerint, ut magnæ partis Helvetiæ Episcopum creare statuerint, ipso met & Christophoro Episcopo Constantiensi ægrè deprecantibus etsi id Sui-tii atque Uranii plurimum urgerent, & prope ac proxime effecissent. *Joachim Abb. Einsidl. Ad Concilium Trid. legatus Episcopatum deprecatur.*

A. C. 1563. Ferdinandus Imp. Aug. Constantiam navi advectus incredibili plausu & insigni pompa cum à Cardinale Episcopo tum à Senatu populoque Constantiensi, inter tormentorum curulum tam è turribus quam val-lis fulmina & tonitrua excipitur, ipseque Juramentum fidelitatis ab iisdem excipit, triduum magno animi solatio commoratus, confirmatisque Urbis Privilegiis, magna & sua & civium satisfactione, consimili reverentiæ significatione inde discedens. *Ferd. I. Constantia excipitur. Privilegia confirmat.*

A. C. 1564. Etsi nunquam non laudatissimum S. Blasij in Hercinia Archisterium viris & rebus illustrioribus, magnum præberet Diœcesi nostræ lumen & ornamentum, hoc tamen tempore, Gaspare ejus nominis primo Abbatem agente, quanto obscuriora passim erant omnia, tanto cultiora & splendidiore ejus cultu, & singulari disciplinæ monasticæ zelo sunt reddita, cum ille primævi contuitu in Ordine fervoris, omni arte & conatu adniteretur, sanctioris vitæ studiis suos accendere, magnum inde & nomen & meritum consequurus. *S. Blasij Monaster. flores.*

- Ven. Cecil. S. Nicol. discip.* A. C. 1565. Rursus cœlesti splendore stellam cœlo transmittit Diœcesis nostra, Beatæ memoriæ Cæciliam, Beati Nicolai Sylvaniensis discipulam, grandævam, octo & septuaginta annos ipsi à morte supersitem, adeoq; centum, & fortè supra, ætatis annos agentem, Viraginem planè admirabilem, insolitæ vitæ & miri rigoris patientiæ, frugalitatis, devotionis exemplar incomparabile, plus quam virili constantia, tot annorum laboribus insuperabilem, Infernalium larvarum, terculamenta, insidias, tentationes, Magni instar Antonij, deridentem, & orationis Virtute & Divinæ opis præsidio facile triumphantem; quæ hoc ipso anno, & sanctissimè semper vixit, sic etiam obiit, ad præmia æternitatis evocato, & ut vivens rogaverat & jusserat, in Ofiario Cæmeterij Ecclesiæ in Kerns sepulta, cujus memoria anniversaria 22. Novemb. recolitur. Ipso anno pestilenti lue vehementius per Helvetiam grassante, tristissimo casu Fischingense Cænobiû & Abbate suo Henrico Landtspergio destituitur, & toto fratrum cœtu orbatur, duobus solum supersitib<sup>9</sup>, Henrico & Gallo, quorum ille sequenti anno designatus Abbas est; alter non multo post, etiam cæteros morte se quitus.
- Georg. Abb. Creuzling.* A. C. 1566. Magnum omnino lumen & ornamentum perdit hoc anno, Georgio Abbate Creuzling. extincto; qui nobilissima inter Helvetios Tschudiorum ortus familia, nobilem & generosum sese in summa & patriæ & Constantiæ nostræ defectione præbuit & demonstravit. A Novatoribus enim plurima perpeffus, & variè (ipfius innocentia & puritatis labefactandæ causa) tentatus, matrimonia divitum delata, promissos aureos montes, ex ingenta virtute, fortiter elusit; Regularis autem disciplinæ studiosissim<sup>9</sup>, Monasterium, & in temporalibus, & æternitatem spectantibus plurimum promovit, hoc anno maximo suorum omnium dolore extinctus, cui Wilhelmus ab Arnsperg substitutus est.
- Moritur Gerwicus Abb.* A. C. 1567. Extinguitur hoc Illustrissimum sanè Diœceseos non solum nostræ sed Imperij universi sydus Gerwicus Abbas Weingartensis, & aliquot annis etiam Ochsenhausenus Abbas, Cæsaribus, & summis Pontificibus gratissimus, amore omnium revera dignus, Hæreticis non minus venerandus quam verendus, à quorum Principibus, pro eximia vitæ integritate, gratissima morum concinnitate & singulari eruditione & in rebus gerendis dextertate, præcipuè diligebatur; cujus laudes, nec magnis quidem voluminibus satis explicari possunt; decessit vir tantus 30. Aug. die, in Monast. Vinearum Sacello Deiparæ, juxta parentes suos & insigne monumentum sepultus, id supremum rogans, ad tumultum suum, juxta consuetas Ecclesiæ preces, psalmû, quem plurimum usurpabat dum viveret, *Inte Domine speravi*; quotidie per trigessimum, ut sacri vocamus, decantari. Reliquit insignia post se magni ingenii monumenta; tomos, ut ajunt, duodecim super Jure Canonico, & civili à se compositos, quos negligens litterarum sæculum, partim incuria perdidit, partim
- Ejus ingenij monumenta.*
- Sepulcrus in vineis.*

partim incendium sub successoris regimine, minus curatos absumpsit, cujus mortem Casar, Principesque omnes Imperij plurimum planxere, & diu post rebus maximis mirè idoneum, multum desideravere. Ipso anno, mense Septembri, Synodum amplissimam Constantiæ celebravit Marcus Sitticus S. R. E. Cardinalis & Episcopus noster, magno rei Catholicæ sed & Clerotius commodo. cujus Acta sunt typo commendata.

*Reges eum lugent.*

*Synodus Constant.*

A. C. 1568. Purgato à quisquiliis & pestilenti ulcere carnis & sæculi Clero & statu Monachico, iis qui turpitudine vitam, & licentia sæculique amore disciplinam Regularem corruperant, in apostasiam prolapsis, mira sub hoc tempus tam inter Clericos reliquos & vitæ Monasticæ sectatores sese prodidit industria & vigilantia, cum ex horribili aliorum casu, qui vis fragilitati suæ diffidens, omnem detestaretur licentiam, ita, ut si unquam alias cautos omnes adverteres, toto deinceps conatu, ad saniora & sanctiora conversos studia. Unde factum, ut quantum antea remiserat in Monasteriis disciplina tantum nunc incrementi sumeret; & tota Diœcesi nostra paulo post primævi Ordinum fervoris exempla se proderent.

*Purgat. auribus & foridibus.*

*Ex aliorum casu sapere.*

*Reformatio ordinum.*

A. C. 1569. Magno non solum Einsidensis Monasterij sed totius Helyetiæ & Diœceseos nostræ luctu & incommodo Joachimus Abbas præfati Cœnobii & Princeps, Idibus Junij (cum ad finem usque Concilii perdurare valetudo non sineret) in Monasterio suo sancto sine consumitur, vir incomparabilis, sæculi sui, Episcopatus nostri, totiusq; Monastici Ord. singulare ornamentum & firmamentum. Post cujus obitum electus est Abbas & Princeps Adam. Heer Raperwillensis, electionem quamprimum Pio Papa V. approbante, cui se statim post electionem Adamus, ut inauguraretur præsentaverat.

*Joachim. Abb. Einsid. obijt.*

*Adamus Abb. ibidem.*

A. C. 1570. Hoc anno magnus ille & singularis Diœceseos nostræ fautor & insignis Benefactor S. Carolus Borromæus S. R. E. Cardin. & Archiepisc. Mediolanensis, ex instituto peregrinationem suscipit ad sepulchrum Beati Nicolai nostri Sylvaniens. summo ibidem animi solatio affectus, summaque devotione sancti Heremicolæ ossa veneratus.

*S. Carol. Borrom. ad B. Nic.*

A. C. 1571. Wilhelmus ab Arnspurg Abbas Creuzling. egregia vitæ integritate Constantiæ nostræ & recens ad gremium S. Rom. Ecclesiæ reversis civibus facem præfert; illorum procul dubio solatio & exemplo jam olim à Numine reservatus cum infans etiamnum è fenestris alto casu prolapsus, à Religiosis parentibus religioso alicui Ord. devoveretur, siquidem incolumis evaderet; evasit, & in talem etiam virum, qui plurimorum deinceps salutis, suo exemplo consuleret.

*Wilhel. Abb. Creuzling.*

*Olim mirè servatus.*

A. C. 1572. Hyems asperissima hujus anni fine, & sequentis initio, ita ut lacus universus Potamicus gelu constringeretur, & quaquaversum secundum longitudinem ac latitudinem, non aliter atque per amplissima terratum spatia, planissimâ semitâ Marispurgo Stadam, Brigantio Constantiam, viatores incederent.

*Hyems asperissima.*

*Constantia  
Religiosorum  
laudes.*

A. C. 1573. Submissi Constantiam lectioris notæ, sanctiorisque vitæ omnium Ordinum Religiosi, Franciscani, Dominicani, Augustiniani, pro lucrando etiamnum in Religione nutantibus, confirmandis recens conversis, præclaram in diversis Ecclesiis & Monasteriis navant operam, sed & per vicinam Helvetiam & Sueviam, plurimum consulunt salutem animarum.

*Henric. Abb.  
Fisching. me-  
ritissimus.*

A. C. 1574. Moritur egregius Monasterij sui post omnimodam ejusdem, in muris, bonis, & viris destructionem, restitutor Henricus Abbas Fischingensis 3. Martij. vir insuperabili patientia, in adversis generositate, in Fide & Religione constantia; ut qui nunc temporis inter tot Sectarum infestationes & injurias probati reperti sunt haud multo inferiores Martyrum meritis suspiciamus.

*Congregatio  
Psalterij.*

A. C. 1575. Apud Patres Dominicanos Constantiæ, multo fructu novelli Dominici gregis, cultus Deiparæ ejusque Mariani Psalterij, & sanctissimæ Congregationis, propagatur; aspirante feliciter cæptis, & conversionem promovente, magno plausu fidelium, cui hodie etiam gratulando accinimus: Gaude Maria Virgo, cunctas Hæreses sola interemisti in universo mundo.

*Episc. nostri  
gloria.*

A. C. 1576. Floret plurimum auctoritate & meritis cum in Imperio tum Romæ apud Gregorium XIII. non minus, quam Pium IV. avunculum & Pium V. Antecessores ejusdem Gregorij Episcopus noster Marcus Sitticus Cardinalis Altempsius, qui ipsum sub hoc tempore ex Cardinale Presbytero Tituli SS. duodecim Apostolorum, Cardinalem S. Clementis, & S. Mariæ trans Tyberiam & primum Presbyterorum creavit, aliisque honoribus extulit & plurimum coluit.

*Fit primus  
Presbyteror.*

*Incendium  
Einsidlense.*

A. C. 1577. Tristissimo rursus incendio, horribiliore scelere Capitanei cujusdam Hæretici Stæteri Episcopo-cellensis exurit Monasterium & pagus Einsidlenensis, solis Basilicis & Sacello Deiparæ superstibus, quæ nequam ante alia omnia perdita optasset; adfectis dein capitali supplicio sceleratis, qui conducti pecunia ab Stætero id immane & impium facinus ausi erant; ipsomet autore non diu post Curia Rhetorum, ustulato, ferroque lacera-

*Incendiarj  
scelus luvnt.*

tato, fractisque artibus rotæ imposito. Eodem anno insigne iterum sydus in Diœcesi nostra Constantiensi exoritur Beatæ memoriæ Fidelis Sigmaringæ, oppido Comitum Zolleranorum, patre Joanne Prætoris & Consule, matre Geneveva Rosenbergia editus, qui postea Seraphici Ordinis Patribus Capucinis accensus, illustri Martyrio Rhætiam nobilitavit, insigni miraculorum gloria à Numine commendatus.

*Incendium  
Weingart.*

A. C. 1578. Luctuosissimo toti posteritati incendio vastatur Imperiale Monasterium Weingartense, splendidissimo & amplissimo, quod paulo ante Abbas Joannes Gerwici successor extruxerat, Palatio, cum ignibus, tum consequente inde concameratorum ædificiorum ruinâ, absumpto, in quod

quod paulo ante locupletissima magni momenti Veterum Manuscriptorum, & incomparabilis raritatis monumentorum Bibliotheca translata fuerat, *Bibliotheca Jaffura.* paucis è pergameno libris, ipso flammaram impetu, per longa aëris spatia in patentes campos ejectis, & posteritati conservatis.

A. C. 1579. Iterum Einsidlenſi Deiparæ proprio Cœnobio, calamitofior omni incendio, ab ipsis Advocatis, contra nomen, munus fidem & debitum *Calamitas nova Einsidl.* persecutio & oppressio, quæ gratissimum cœlo fidelissimumque Cœli Regina Sacellanum, sanctissimi Archisterij Abbatem, innocentissimum Principem Adamum compulſit Monasterio excedere, eo procedente simultate, *Exul. Adam Abb.* ut annuente etiam Joanne Francisco Bohemio Vercellenſi Episcopo, Sedis Apostolicæ Nunciæ ex Helvetia in Rhætiam & S. Geroldi Præposituram emigraret, si fortè patientia evinceret Advocatorum in se conceptam malevolentiam, sex integros annos illic se continens, speransque tunc temporis decursu saltem mitigandos. Sed frustra, ut deinceps audiemus pientissimis *Caus. Numini commendat.* Religiosis optimi Patris absentiam indefinenter lugentibus; ipso causam suam Numini ejusque Magnæ Matri commendante, quorum Juris, Libertatisque Ecclesiasticæ causa, exilium libenter tolerabat.

A. C. 1580. Nunquam sine magnis syderibus Diœcesis nostra aut natis, *Ven. Petrus Canisius.* aut datis, singularique Numinis gratia & benevolentia etiam procul venientibus. Ita hoc anno sanctæ memoriæ Ven. Patrem Petrum Canisium, meritissimæ & laudatissimæ Societatis JESU Sacerdotem Neomagensis patriæ, Geldrum natione meruit, qui nunc jussu Superiorum Helvetiæ nostræ immigravit, & multis laboribus Diœcesim nostram demeruit. cujus omnia commemorare, nimis quam longum foret; talia tamen fuere, quæ haud multum concesserint, meritis magnorum Apostolorum.

A. C. 1581. Demeretur Diœcesim nostram Apostolico zelo, & eximia *S. Carolus Borromæus.* charitate ac sollicitudine Sanctissimus ille Mediolanensis Archiepiscopus & S. R. E. Cardinalis Carolus Borromæus, de Helvetiorum inprimis Conversione supra modum sollicitus omnes vias & modos eorumdem lucrando- rum excogitans, suaque etiam præsentia plurima loca honorans; Sangallense inprimis Cœnobium, tanquam Promptuarium omnis ætatis Sanctorum, *Helvetiam demeratur.* summa animi consolatione contuitus. quem merito Helvetia tanquam Genitis singularem & quidem ultroneum Patronum, æternum colat necesse est, atque summis honoribus veneretur.

A. C. 1582. Non minus maximis Sydus Diœcesim nostram perfectioris *Joachim Abb. S. Galli.* vitæ radiis implet, omnes absolutissimi Præsulis numeros explet Joachimus Abbas Sangallensis, ob insignia naturæ & gratiæ talenta ad magnos honores pridem expetitus & destinatus, etiam in Coadjutorem Episcopi Curienſis cum decreto succedendi electus, ipse nimio sui contemptu honores omnes aspernatus, tanto dignior ab omnibus habitus, etsi ut admitteret persuaderi nulla ratione se pateretur, fuit non minus eruditus quam Religiosus, omnes *Ejus laudes.* que

*Apostatam  
revocat.*

que scientias Parisiis & Arvernæ imbibit, suosque omnes & doctos & sanctos fieri voluit, quos Dilingam, Parisios & Romam ad studia misit. Lucrandis animabus intentissimus, in conversione A catholicorum multum laboravit, Prælatum etiam Apostatam aliquem, doctissimis scriptis ab Hæresi revocavit. Præsul omnino talis, qui inter Præcipua non solum Diœceseos, sed totius Ordinis ornamenta numeretur.

*Lues pestifera*

A. C. 1583. Pestilenti lue laborat plurimum & Germania tota, & Diœcesis atque Urbs nostra, qua tamen Constantiæ haud ita multi absumpti sunt, Psalterij proculdubio Mariani, & restitutæ per Urbem solidioris Religionis & pietatis studiis. Cæterum plura etiam sacra Cœnobivia viris insignibus ea pestilitate exspoliata sunt; quos inter non minimæ natæ fuit Jacobus Sutor Abbas Angelomontanus, eodem morbo, non sine gravi suorum horrore & luctu 9. Novembr. extinctus, in cujus locum Gabriel Blatiman Lucernas electus est.

*Jacobus Abb.  
Engelb.*

*Moris. S. Carol.  
Borrom.*

A. C. 1584. Cælo recipitur hoc anno, ingenti sui relicto terris desiderio S. Carolus Borromæus S. R. E. Cardinalis, & Mediolanensium Archiepiscopus Benefactor Diœceseos nostræ singularis, & Helvetiæ ut vivus, sic à morte etiam amantissimus Tutelaris, non uno exemplo quantum apud Numen pro Clientibus suis posset comprobatus, ex cujus sorore, quotquot hodie supersunt Comites ab Hohen-Embs, progenitos habemus, & vel maximè inde suspicimus, magis certe quam ab omni insignium antiquitate, & avorum splendore.

*Adam Abb.  
Einsidl.*

A. C. 1585. Memorabile exemplum patientiæ & simul generositatis de se præbet hoc anno Adamus Abbas & Princeps Einsidlensis, qui pro Ecclesiastica libertate exilium ultroneum, toto sexennio cum admiratione bonorum omnium quietè ad S. Geroldi Rhætiæ transgens, cum Jure agere, à Juris peritis & optimæ causæ securis, contra intolerandam secularium in sacra & Sacros homines licentiam, moneretur: Nolle se diu litigare, sed sponte, quem nunquam ambierat, honorem cedere, suisque filiis & Fratribus potestatem facere alterius deligendi, qui ægerimè ab se optimum parentem dimittentes, Udalricum Weitwillerum Decanum & per absentiam Adami Curatorem succederunt. (Ipso anno Constantiæ vita excessit Christophorus

*Christophor.  
Abb. Petrusij.*

Funck à Buochenberg Abbas Petrusianus Casarum Consiliarius infigne & familiæ suæ & Petrusij decus, cui Andreas successit, Præsul utilis, sub quo Monasterium S. Georgij in oppido Stein Petrusio fuit incorporatum.

*Georg. Abbas  
Weing.*

A. C. 1586. Iterum splendidum sane sese suo fulgore signat Diœceseos nostræ lumen Georgius Abbas Weingartensis, hoc anno designatus ejusdem Monasterij Administrator, qui magnis quamprimum meritis se commendavit, donec

A. C. 1587. die 27. Mensis Novembris Abbas per viam inspirationis unanimiter eligeretur, nemine non consentiente, sed & sine ullo alio tractatu vel nomi-

nomi-

nominatione præcedente. Qui deinceps primis statim initiis, fervorem suum *Reforma-*  
prodidit, & in reformatione non sui solum Cœnobij, sed plurimorum alio-  
rum miranda præstitit. *tor Monast.*

A. C. 1588. Plurimum præstant in lucrandis Numini & Romanæ Ecclesiæ,  
post illatam horribilem Helvetiæ à Zwinglianis cladem, ejusdem provinciæ  
diversis Monasteriorum Abbates & viri Religiosi, quos inter præ aliis cele- *Abbates*  
bratur merito suo Christophorus Brunner Abbas Fischenensis, egregius sui *Helvetiæ.*  
etiam Cœnobii Restaurator, & disciplinæ Monasticæ Reformator.

A. C. 1589. Episcopatum Constantiensem resignat hoc anno Marcus Sitti- *Marcus*  
cus Episcopus noster & S. R. E. Cardinali Andree Austriaco, Marchioni *Sitticus*  
Burgoviæ Ferdinandi Archiducis ex Philippina Welsera filio, S. R. E. Cardi- *Episcopus.*  
nali, & Episcopo Brixienfi, qui magna pompa urbem ingressus est, nec mi-  
nore à civibus exceptus.

An. Chr. 1590. Insigne Diœceseos nostræ & Cathedralis nuper Ecclesiæ  
Constantiensis ornamentum, Basileensis modo Episcopus Jacobus Christo- *Iac. Chvi-*  
phorus Blaarer à Wartensee, Apostolico inflammatus totus in Conversio- *soph Epi-*  
nem subditorum incumbit eoque sine Patres Societatis evocat, quibus ea *scop. Basil.*  
de causa.

A. C. 1591. Insigne molitur Collegium, & Gymnasium publicum instituit, *Collegium*  
magno vicinarum Ditionum fructu, plurimum initio sese opponentibus *& Gymn.*  
Bruntrutanis, Episcopo nihil non tentante ad confundenda illorū argumēta,  
quibus amoliri & Scholas, & Patrum Societatis receptionem conabantur.

A. C. 1592. Meretur de tota Helvetia, adeoque Diœcesi nostra, plurimum,  
Beatæ memoriæ Petrus Canisius, sed & totam Rempublicam Christianam si- *Ven. Petr.*  
bi obligat, diversis ingenij monumentis, Catecheticis imprimis, quibus ju- *Canisius.*  
ventuti, & recens ad Romanæ Ecclesiæ gremium redeuntibus sanctè consu-  
lebat, cujusmodè exercitium diversi diversorum Cœnobiorum Ascetæ, uti *Catechis-*  
lissimè in se suscipiunt, ita ut diversis statim provinciis, Divinus cooperans *mus &*  
Spiritus se proderet, & viciniore quosque sacro fervore corripere, & ad so- *scripta alia*  
lidiorem pietatem inflammaret.

A. C. 1593. Andreas Episcopus Constantiensis & S. R. E. Cardinalis, mi- *Andreas*  
rificè afficitur ad Augiam Divitem, & erga ejusdem loci Religiosos, sæpius *Episc. Con-*  
ibidem commoratus, & Benedictinæ Regulæ instituto tantopere delectatus, *stant.*  
ut serio, de eodem suscipiendo deliberaffe videretur. Fuit Divinis rebus de- *Ejus Reli-*  
ditissimus, & reapse jam quasi loci ejusdem professor, sacris exercitiis pro- *gio.*  
be exercitus. Princeps omnino talis, de quo ipsomet jubente plurimum si-  
bi Ordo Monasticus polliceretur.

A. C. 1594. Occidit Magnum Diœceseos nostræ sydus, cœlisque oritur, *Mirabile*  
Joachimus Abbas & Princeps Sangallensis. Is pestilenti grassante lue, dum *exemplum*  
missis ad tutiora loca Patribus, memorabili exemplo, sese quasi pro aliis of- *in suos*  
fert *charitatu.*

fert victimam, & pro populi salute suam cum vita ultroneus consecrare Numini gestit, Festo S. Bartholomæi Apostoli pro concione perorans, in ipso suggestu apoplexiâ tactus, post paucas horas felicissimè moritur, relictis egregij ingenij monumentis: Libro uno de exercitatione veræ Virtutis. Sermonibus diversis sive exhortationibus. Sed & insigni opere, quo totam pene Summam Doctoris Anglici in Tabellas retulit.

*Scripta  
Abb. Ioa-  
chimi.*

*Moritur  
Marcus  
Sitticus  
olim Epi-  
scopus.*

A. C. 1595. Moritur hoc anno Romæ Marcus Sitticus Comes Alt. Emsius, nuper Constantiensis noster Episcopus Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Eminentissimus & Presbyterorum primus, anno ætatis sexagesimo secundo 15. Calend. Martij, sepultus in Ecclesia sui tituli in sacello à se exædificato & dotato.

*Balthasar  
Wucherer  
Suffraganeus.*

A. C. 1596 Æterna Constantiensium gloria venerandæ memoriæ Balthasar Wucherer Episcopus Afcalonensis, Andræ Cardinalis & Episcopi nostri Suffraganeus, Urbem nostram sanctæ Vitæ exemplo plurimum illustrat: Vir mitissimi ingenij, & sanctissimæ conversationis, qui à Deipara impetrasse dicitur, nequid gustus in cibo potuque sentiret, ita ut solo crassioris notæ pulmento contentus parcissimè viveret, Angelica innocentia præditus, intaminatissima vitæ paritate, & zelo Religionis ac religiosæ disciplinæ, quam ubiq; promotam cupiebat.

*Moritur  
Ven. Petr.  
Canisius.*

A. C. 1597. Magno bonorum omnium luctu cælo maturus, nobis immaturè præripitur Beatæ memoriæ Petrus Canisius, de Dcecesi nostra immortaliter meritus, festo S. Thomæ Apostoli, ætatis suæ anno 77. cujus faciès à morte multo venustior quam in vita, & manus roseo colore nitentes apparere, cujus deinceps apud se gratiam multis miraculis Numen comprobavit & Fidelium devotioni commendavit.

*Episcopus  
noster fit  
Belgij Gu-  
bernator.*

A. C. 1598 Andreas Austriacus Episcopus noster & Cardinalis, ad instantiam Philippi II. Hispaniarum Regis, à Rudolpho II. Imp. in Belgium mittitur, & Belgicarum Provinciarum Governator renunciatur, cui Albertus Archidux in Hispanias abiturus, & Claram Isabellam ducturus, totale regimen commendat.

*Ad suos  
revertitur*

A. C. 1599. Revertitur ex Hispaniis Archidux Albertus cum Sponsa Regis Filia Clara Isabella, cui per postam obvius Cardinalis & Episcopus noster, & sponsam gratulatur, & gestum felicissimè Governatoris munus resignat, brevi regimine, multis rebus fortiter & prudenter gestis, munitione imprimis inexpugnabili S. Andræ, ad frangendum conatus hostium exstructa & à se cognomita. Inde reversus Constantiam summa omnium gratulatione exceptus est, Augiensium imprimis suorum. Quibuscum tamen diu non mansit, & voti causa & Jubilæi anni Romam iter intendens, non sine lachrymis omnium sibi charissimorum valedicens, plausibilia promittens iisdem si reverteretur; ignarus quid de se optimum Numen statuisset.

*Romam  
pergit.*

A. C. 1600. Ipso proin anno Jubilæo, cum voto jam satisfacisset suo, idem *ibidem* ipse Pontife. noster & S. R. E. Cardinalis Andreas & Roma Neapolim, inde *expulsi* Romam concessisset, pridie Iduum Novembris vita excessit, visus ipso quasi obitus momento locum orationis consuetum in Basilica Augiæ Divitis occupare, ab amicissimo sibi Religioso, qui ad reliquos Conventus Sacri, ipsa hora retulit, Principem adesse & à se conspectum esse.

Significavit etiam Constantiæ signa extraordinario, Principis mortem bo- *Signum* num Numen, & ipsa die ipsaque hora qua optimus Princeps Romæ decessit, *obitus.* mense Novembri fulmine Cathedralis templi Odæum, & turriculam huic supereminentem notavit, in horologio ejusdem liquefactis ex ære exstantibus numeris, duodenario, primo atque secundo, ad punctum usque tertiam notante, superveniente, ad tonitruum fulminisque insolentiam Cathedrali Decano *Prædictio* (proximis habitante ædibus) Joanne Georgio ab Halweil, pluribusque qui *funerorum* fulminis ictum notaverant, & incendium Basilicæ metuebant; erumpente in lugubres questus coram omnibus Decano, & mortem optimi Præsulis deplorante; *Sit propitius*, inquebat, *bonus Deus defuncto Principi nostro. Quin & mi-* *Res mira!* *fero successorij ejusdæ haud multo supra duos & mediū annū præfuturo.* Ita factū, & is ipse qui prædixerat, succedere cōmuni omnium Canonicorū calculo jussus fuit.

A. C. 1601. Fuit miraculum suæ ætatis Pontificum Joannes Georgius, fa- *Joan. Geor-* milia longè antiquissima, Germanâ sed Romanæ originis, ab Alis, sive Ala- *gius Epi-* rum villa, vulgo Halweil, parentibus Theodorico ab Halweil, & Eva de *sepue.* Bernhausen oriundus; mitissimus hominum Princeps, idem demissione ani- mi maximus; Suffraganei sui Balthasaris, de quo supra, perfectionis studio quam simillimus idem beneficium (incertum uter alterius exemplo) à Dei- para consequutus, ut nullo gustus sensu in cibo potuque fumendis fruere- tur, unico & ipso pulmento seu offula inter epulas contentus, ea dissimulatione *Vir profes-* dum hospitibus accumberet, ut vix à rei conscijs notari posset. Rigidus *sus.* etiam aliàs sui corporis castigator. Episcopi munera omnia ipse obiit, nihil *Verus pa-* remittens Suffraganeo, quam quando unus in tot onera non sufficeret, ipse æ- *stor ovium.* grorum omnium solatium, solo sui contuitu pro suggestu potens orator, et- jam priusquam loqui ordiretur, ambidexter, utrobivis potens verbo & ope- re. Ita felix, ita oculata nunc, haud ita pridem cæca Constantia, gemino o- colorum lumine tam illustri donata à Numine fuit.

A. C. 1602. Visitationis munus Episcopus noster inter prima semper ha- *Dicecesim* buit, multum gregis sui ipse agnoscere voluit, omnibus ægris ipse mederi, ipse *visitat.* ducere, ipse pascere. Ita amplissimam Dicecesim, uno comitatus Capellano, & equite famulo, totam summo labore obiit, solitus Divinum officium & *Officium* horas, ut vocant, Canonicas, non recitare, sed velut Choro interesset, cum *D. causas.* Clerico cantare. Quod in Bernatum ditione cum aliquando præmitteret, anxius de valetudine ejusdem Capellanus, cum finitis precibus, sollicitè,

- Apud Bernas praetermittit.** quonam laboraret morbo, & sibi non indicaret? sciscitaretur; Episcopus autem causam interrogationis rogaret; & ille: quod submissa voce diceret quæ alias canere consuevisset, mo: in gemitum erumpens, & lachrymis defluens, pius Pontifex: *Quomodo cantabimus*, inquit, *canticum Domini in terra aliena?* inexplicabili cordis dolore condolens, ovis oculis Zwingliana peste infectis, à vera fidei luce alienis. Clerum suum ea in veneratione habuit, ut minimum è plebanis occurrentem honorificentissimè tractaret, sibi que ad dextram a sedere in mensa vellet. Ex his simplicioris notæ aliquem cum aliquando, manducare veritum juberet, & is lance majore & communi præterita, scutellam Episcopi invaderet, libens dissimulavit, & modico ac vix dimidio contentus famere, quam Sacerdotem confundere voluit, cum præter unum, ut supra diximus, nil porro ferculi, nisi dissimulando, in orbem admitteret. Exhortando potentissimus fuit, & absque verbotum acrimonia, lucrari animos, virtutum ipsa commendatione potuit; cujus ipse contuitus sine fructu non fuit, exemplum omnes docuit.
- Causam reddis.**
- Sacerdotij honor.**
- Potens Orator.**
- Moritur feliciter.** A. C. 1603. Tantum sydus, cælum Constantiæ nostræ invidens, morari in terris ultra non sustinuit, sed sustulit, incredibili bonorum omnium & Cleri in primis luctu, apud quem tantum sancto vitæ exemplo potuit, ut multi deinceps ea integritate viverent, qua primævo Ecclesiæ flore, viguisse Christi Sacerdotes memorantur. Mortalitem deseruit mense Decembri hujus anni, maximo sui relicto desiderio, longiore vita dignissimus, nisi eam libentius deseruisset quam produxisset. Fuit corpore procerus, at gracili, continuis jejunijs & carnis castigationibus exhausto, & ante mortem in omni vita mortificato, facie pallida, quæ tamen post obitum gratiosissima roseo & constanti colore floruit; Magnus revera Pontifex, cultu Deiparentis Virginis & gratia ejusdem singulari felicissimus, de cujus potenti apud Deum patrocinio Constantia dubitare non debeat, & nos totaque ejusdem familia vel pro ipsa necessitudine, plurimum gratulemur.
- Statura & qualitas.**
- Deiparentis sing.**
- Incobus Fuggeri creator Episcopus.** A. C. 1604. Successit inexpectato Electionis successu juvenis etiamnum & liberioris ingenij Canonicus, Cathedralis Ecclesiæ Præpositus Jacobus Fuggerus Liber Baro de Kirchberg & Weissenhorn: cui (ipsomet sæpius plausibiliter referente Episcopo) mox ab electione sanctæ memoriæ Suffraganeus Balthasar; Principis honorem gratulando; *Nunquid ait, Illustrissimo Princeps, alius deinceps eris, quam fueris?* promisit stipulata quam primum manu, exosculatus Senis ingenium, novus Pontifex, & præstitit, *tantum mutatus ab illo*, ut sydus ex in præstantissimorum Præsulum celebrari mereretur. Cujus gesta, ut & sequentium Successorum, cum in recenti etiamnum Constantiæ nostræ memoria sint, referre ex ordine omnia super sedemus, & obiter pauca, cum anno obitus designamus, ijs qui familiarius convixerant, & penitus omnia noverant, id muneris relinquentes.
- Mira mutatio dextera Excelso.**

Sub hoc Pontifice Collegium Patrum Societatis elegantissimum ejus potissimum aliorumque Religiosorum præfulum, & devotorum ope & opera à fundamentis, ad supremum apicem confutrexit. Idem Monasterium Patrum Capucinatorum proprio sumptu totum condidit.

*Collegium  
PP. Societas  
Monaster.  
Capucin.*

Idem anno Christi 1611. Synodum solemnissimam summo boni publici fructu, in Cathedrali Constantiensi Basilica celebravit, disciplinamque Ecclesiasticam, pulcherrimo exemplo immortaliter merito præclare restituit. Eo denique sacri fervoris processit, ut abdicare omnino sese Pontificatu constitueret, & sub Georgio Præsule Weingartensis Monasterij reformatius Divi Benedicti completi Institutum. Verum religioni sibi ducens prudentissimus simul & religiosissimus Abbas, tam utilem suæ Ecclesiæ amplissimoque Episcopatu Pontificem à dexterrima boni publici procuratore, ad privati studia suo ad sensu converti nullis non prius rationibus & argumentis à proposito avocare frustra conatus, simulato denique consensu, & obedientiæ religiose, juxta propriæ voluntatis, & sensus proprii omnimodam abnegationem declarato & commendato merito, pio dolo inadvertentem induxit, ut dum de instituendo quod proposuerat, & in actum redigendo, uberius consultaret, manu data alieno victurum arbitrio, neque aliter quam jam solemniter devota Numini voluntata Abbati obtemperaturum; jussus primo obedientiæ experimento, statum perfectissimum Episcopatus retinere, & ex simplici obedientia Episcopus esse, cum obloqui, porro non præsumeret, nec posset, non potuit tamen quin altum ingemisceret, & supplantatum, non supplantantem Jacob sese fassus, suæ obedientiæ Magistro illud sæpius deinceps exprobraret. Solitus exin quotannis ferè ad Monasterium, quod tantopere exambierat, inviscere, ad primum contuitum Ascetarum, quasi fratrum plus quam germanorum, chorique tam chari exauditis vocibus, in uberimas effusus lachrymas. pavementum, ex quo ab alto despexerat, largè irroravit; certus esse jussus, obedientiæ se mercedem, etiam sub infulis reperiturum, sub quibus proprii capitis sensum, alieno arbitrio devoverat. Divo Benedicto exin plurimum addictus, plura passim sui filialis affectus argumenta edidit, aliaque inter, proventus seu redditus annuos ex Augiensi Cœnobio cum sibi obvientes, tum ab Antecessore Joanne Georgio, eo quoque sine intactos ad usus ejusdem Monasterij convertit, quod à fundamentis novum extruxit, & disciplinam pro virili revocari curavit. Magnificus omnino Pontifex, & qui, quæ Dei cultum præcipuè & proximè attinent, spectatissima voluit; quâ ipsâ intentione, multa sine exemplo molitus, exemplum primus ipse dedit, eaque inter altare majus Cathedralis Basilicæ argenteum voluit, totamque ejus machinam statuis argenteis pretio non minus quam arte magnificis instruxit, tabulamque majorem, arte Apellæ à aliis representari solitam, solido ex argento confici curavit, in eademque Deiparam auro pretiosissimisq;

*Synodus  
Provin-  
cialis.*

*Propositum  
Episcopi*

miri splendoris gemmis coronavit, quas inter adamas raræ magnitudinis multis millibus æstimatus eminet; ut nihil de aliis memoremus muneribus, quæ Ecclesiæ eidem & Illustrissimo Capitulo moriens consignavit.

Tantum lumen annus Christi 1626. dies 6. Martij abstulit, cum Princeps optimus, maxima se animi præparatione ad mortem comparasset, summaque devotione Sacris munitus esset, mirificè semper ad SS. Eucharisticum Sacramentum affectus, uberrimis sæpius lachrymis diffluens, cum sacris ad aram operaretur, corpus demortui in condito à se R.R. PP. Capucinatorum Constantiensi Cœnobio & Ecclesia, intestina Marieburgi in Parochiali sunt condita.

Sub ejus regimine Balthasar quoque Alcalonenfis Episcopus, ipsius Suffraganeus, naturæ debiti solvit, inter magna ut vidimus luminaria totius Dioceseos referendus, Deiparæ ut supra diximus singulariter addictus & charus, cui haud impari splendore Virtutis Joan. Jacobus Mirgelius suffectus est, Episcopus Sebastensis, Jacobo Fuggero Canonicorum votis successit Sixtus Wernherus Vogt ab Alten-Summerow de Prasperg, Princeps maximè industrius, religiosus & pius, longiore vita dignus, cujus magnos dignosque egregio Pontifice conatus annus 1628. morte interceptit, succedente Canonico suffragiis Joanne S. R.I. Dapifero Hæreditario de Waldpurg Comite de Wolffeck &c. incomparabilis modestiæ & integritatis Principe, qui à teneris unguiculis ab Illustrissimis parentibus Henrico Dapifero, & Maria Jacobea è Principibus Zolleranis, ad omnem vitæ sanctimoniam institutus, neminem non ipsos quoque A catholicos solo contuitu, mirifico quodam virtutum splendore, in admirationem rapuit, & sacro quasi horrore perstrinxit.

Contigit sub tam dilecto Numini Pontifice, memorabilis illa, & summa contentione suscepta Suecorum expeditio adversum Urbem nostram, & repentina ejusdem obsidio; patente per Helvetiam aditu, unde solemnni Sacramento & fœdere, tutior omnibus munimentis, vallis & fossis sibi videbatur, cum per oppidum Stein, nemine non tantum non resistente, sed plausum dantibus, qui fide, & sæpe, & non multo antea, datâ, pro virili hosti resistere, & Amicis omni ope adesse tenebantur, & per pontem Suecicus exercitus traduceretur; nulloque vel campanæ, imminentis periculi signo, seu tubæ seu tympani dato, hostilia agmina, Gottliebam, Creutzlingam, Münsterlingam loca circumquaque omnia occuparent, Sed & Gottliebæ comparata ad pontis Rheno imponendi structionem trabes & ligna reperiret omnia, Helvetiis Catholicis rei inopinatæ nuncio haud leviter territis, & quid agerent planè ignorantibus; Constantia ab omnibus nisi à Deo & seipsa deserta, sibi constanter constante, & illius, suæque Tutelaræ Deiparæ (cui anno jam exacto Sacellum Lauretani consimile, tanquam Urbis Proteçtrici voverat, & jam recens absolverat) opem ac cœleste subsidium confidentissime invocante, & mox indubiis signis atque experimentis, sentiente.

Fausti

Obsidio  
Constantia.

Hostia in  
Helvetia  
admissa.

Constantia  
B. M. V.  
credita.

Fausti omnis loco dies ipsa obsidionis prima est habita, Natali ejusdem Magnæ Faustum Matris solemais (Sexta Iduum Septembris anni M. DC. XXXII.) quæ inter sacro-  
rum solemania, è magno metu in spem maximam erexit. Nec magis in armis parandis & expediendis, quàm notis & precibus congeminaðis, laborarunt, & colla-  
borarunt universi, non tam virorum, quam puerorù umbellius animis mira generositate  
concitatis, quin & mulierum quasi Amazonum Virtute ex alto indutis, his inter infinita  
tormentorù bellicorum & bombardarù fulmina igitosque imbres & grandines imper-  
territe, viris viriliter assistentibus, & necessaria, arma, lapides, aliaque suppeditantib⁹  
animos excitantib⁹. Erant tum forte apud non minimi nominis & prudentiæ Principē;  
quoeù etiam non nemo factionis Gallicæ Colonellus juxta confederat, exanimato penè  
ad subitum adeoque triste nuncium illo, hoc in plausum & risum erumpente, hæc ipsa  
inter: Edocendum nunc denique Casarem & Austriacos esse, cui rei oportuna Con-  
stantia sit: quæ si jam olim se junxisset Helvetiis, opulentissima nunc ageret & securis-  
sima; Tiguro primatum invidisse, quæ etiam secunda splenduisset gloriosissime. Fore  
tamen hodierni diei angustias, initium deinceps fortunæ ejusdem melioris, quæ sive  
Regi, sive Confœderatis obtingeret, ita excolendo deinceps, formanda & firmanda  
sit, ut Occidentis in simul & Orientis Casarum assultus eluderet, ipsosque juxta con-  
spirantes Inferos exsufflaret. Exhorruit ad voces tantæ insolentiæ Princeps, & taceri  
ejusmodi ad mensam suam rogavit, neque plus tamen effecit, quam ut satur ille homo,  
vera dixisse sese assereret, & mox verbis suis fidem, ipso experimento astruendam.

Obsidionem non describimus, peculiari libro luci datam, & in recenti oranium  
memoria: quæ uti ipso Deiparæ, uti jam dictum, natali cœpit Septembri mense, ita  
sequenti Octobri Festo ejusdem Rosarij (cujusmodi Rosariorum multa millia dies-  
que noctesque in urbe irremisse cælo transmissa; & globuli horum globis curulum  
longe prævalere) desit, ut facile appareret, cujus auspicijs res gereretur. Ceci-  
nere triumphum ante victoriam hostes, & poculis votivis gratulati mutuo sunt in  
orbem, qui simul ante urbem confederant hoc ordine, digni qui memorentur: 1. Gu-  
stavus Hornius Suecorum Generalis. 2. Dux Wirttenbergius. 3. Dux Saxoniarum  
Weinmarius. 4. Comes Palatinus Princeps Birckenfeldius. 5. Dux Holsteinus.  
6. Dux de Rohan Borbonius. 7. Junior Comes, Hornius Generalis ex fratre Nepos,  
qui ante urbem globo ictus interiit. 8. Comes quidam Wallsteinus. 9. Major Rutt-  
wein. 10. Scafelitzius. 11. Comes Maximilianus Pappenheimius. 12. Do-  
minus ab Oepffingen. 13. Legatus Tigurinus. & c. Horum de victoria nec unus qui-  
dem dubitavit. Tiguro alijsque Helvetiarum A catholicorum ex locis cœterasim specta-  
tores occurrere; & propius etiam consistere aliquot ausi sunt, donec re animadversa li-  
bratorum aliquis ex urbe, junctis catena globis duobus majoribus, insignem specta-  
torum stragem ederet, reliquos dissiparet. Cujusmodi etiam salutatio, convivanti-  
bus in conclavi quodam Creützlingensi Colonellis & Capitaneis, evenit, & funa-  
lia juxta vitam aliquorum extinxit. Compertissimum oculato, præsentissimo tunc  
rei teste, est, eoque fidei indubitatz: exprobatte iis, qui invitaverant & induxerant  
ad obsidionem urbis Hornium, cum re desperata vasa colligeret & fugam acceleraret;  
persuasumque se ruperit, quasi neglecta Constantia, ac sine sudore & sanguine facile  
superabilis esset, quæ tamen, etiam ubi Potamico lacu & Rheno non cingeretur, a-  
quis nihilominus præmunita esset, & has si vel pedis profunditate, terram eruas, sta-  
tim proderet, neque uspiam tegendo & hac illacque dirigendo militi, fossas ductiles  
nedum cuniculos, nisi solo in tumulo, & aggesto Creützlingensi admitteret; ut nul-  
lo sic loco honor coronæ Suecicæ & fortuna in discrimen adducta viderentur. Ira  
inglorius abiit, gloriosissimus cæteroquin exercitus Suecici Imperator, & Constan-  
tia

Generosi-  
tas Civium.Colonelli  
Gallici as-  
sertum.Constantia  
primatum.Hostium  
intensio.Obsidionis  
initium.Principes  
ante ur-  
bem.Spectatores  
curiosi.Pessime  
lunus.Soluta ob-  
sidio.

Exprobatio

Ira Horni

fuga.

*Cæſorum  
numerus.* tia ab alijs prodita (uti inſignia in inſtrumentis & machinis bellicis inter trepidationem & fugam relictis, uſque hodie docent) ab alijs deſperata, de ſor millibus, Dei & Deiparæ prodigioſa ope, glorioſiſſimè triumphavit; & gratiam agnoſcens gratias ſolemnes retulit. De cæſorum numero hoſtium moſtius in obſidionis relatione 1 ypo vulgata, Conſtantieaſes, qui ultra quinque millia non extenderunt. Habui autem ab æquiſſimis cenſoribus, ſi Wirtenbergensæ & alios auxiliarios cùm milites, tùm ſoſſores accenſeas, ad ſeptem millia occubiſſe, quod ſtatim ſoluta obſidione præſens à magni nominis viris intellexi, cum pro facie urbis Regi Catholico commendandæ, exoratus, totam aliquot ſupra triginta quaternionibus, ex Ichnographicis linea mentis, uti tunc apparebat conſpicuam erigerem.

*Gloria Gu-  
bernatoris.* Meruit proximam à Deo & Deiparæ ſervatæ urbis gloriam Illuſtriſſimus Comes Maximilianus Wilibaldus Waldpurgius Dapifer. Comes Wolſteccius Joannis Episcopi germanus longe amantiſſimus: qui toto obſidionis tempore, ſupremum loci & rei militaris Imperatorem egit: Lindovij deinceps non minus ſe probans & commedans, cujus generoſitas & fidelitas inter buſta avitorum palatiorum & arcium, interque invidiam & odia hoſtium tanto illuſtrior eluxit, quanto pauciora exempla, ſpectatores plures habuit, extantibus è contra deteſtandis ſimul & erubefeendis omni poſteritati tantæ barbariei hoſtium monumentis, quæ Hornius honeſtiſſimæ vitæ Heros, & prudentiſſimus indigna ſe duxit, & laude digniora, quam ultione, in urbis noſtræ

*Indigna  
marces.* Gubernatore & Duce fidem & generoſitatem mirificè extulit & celebravit, quod utrique vivis crepto, in hoſte æque virtute æſtimantes pro Monumento & Trophæo ſtatuimus.

*Hornij  
laus.  
Elogium  
utriuſq;  
ducis.* Cæterum hucusque tempus in urbis reparationem & munitionem utiliter inſumptum armamentaria, ita, ut nunquam antea inſtructa, Numini & Dei Matri ſolemnes honores decreti, quorum conſtanti & omnipotenti præſidio. Conſtantia, tamdiu ſtabit, & ſibi conſtabit, quamdiu illis, fida manſerit, manebit autem, ſi beneficiorum & ſui nominis per omnes Ungarorum, Gotthorum, Suecorum &c. inſultus conſtantis & invicti meminerit.

*Urbs gra-  
titudo.* Joannes Episcopus undecim annos obſidione ſupervixit & plenus meritorum anno Chriſti 1644. in Domino requievit, Princeps ſacta purpura digniſſimus, ſed quem cœlum Conſtantie æque inviderit, atque Romæ; cujus germanus frater Jacobus Carolus Conſtantienſis Canonicus ita & ipſe vixit, & ibidem devixit, ut haud vulgari ſanctioris vitæ opinione, æque ac frater inter ſydera illuſtriora Conſtantie merito numerandus ſit; de quorum cineribus magis quam gemmis pretioſiſſimis ſibi urbs noſtra gratuletur.

*Mors Ioan-  
ni Episco-  
pi.* Joanni Episcopo ſucceſſit Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus Dominus Joannes Franciſcus à Praſperg cognomento Vogt ab Alten-Summerovv, Sixti Wernheri Episcopi ex fratre nepos, antiquiſſima Generis nobilitate, omni que virtutum cultu, naturæ & gratiæ eximijs talentis conſpicuus, Princeps, quem maximi æque ac minimi colant ac venerentur; ut ex hoc ipſo, quam dilecta ſit Numini Conſtantia omineris, tantis nimirum Præſulibus velut Angelis Cœlo demiffis, commendata, de quibus & Conſtantie, & Diœceſi ampliſſimæ imò & Germaniæ & toti Romanæ Eccleſiæ plurimum gratulamur, & gratias univerſi, Numini debemus immortales.

*Eleſtio  
Ioh. Fran-  
ciſci.* Conſtantia omineris, tantis nimirum Præſulibus velut Angelis Cœlo demiffis, commendata, de quibus & Conſtantie, & Diœceſi ampliſſimæ imò & Germaniæ & toti Romanæ Eccleſiæ plurimum gratulamur, & gratias univerſi, Numini debemus immortales.

*Præſulum  
bonitas.* Conſtantia omineris, tantis nimirum Præſulibus velut Angelis Cœlo demiffis, commendata, de quibus & Conſtantie, & Diœceſi ampliſſimæ imò & Germaniæ & toti Romanæ Eccleſiæ plurimum gratulamur, & gratias univerſi, Numini debemus immortales.

Tibi Unico Deo, una Salus.